IOANNIS

COMITIS TARNOVII, IN

POLONIÆ REGNO STRATEGI NOMINATISSIMI,

DE BELLO,

Cum juratißimis CHRISTIANÆ FIDEI hostibus TVRCIS, gerendo,

DISPVTATIO SAPIENTISSIMA.

Ad

Inuictißimum Imperatorem

CAROLVM V.

Scriptore Ioanne Strasio.

Nunc primum

à

IOANNE GEORGIO SCHEIDIO Hagenoënse, Art: liberal: M. & V. I. Cand: in lucem, varijs cum notis, adducta.

WIRTZBVRGI

Ex Officina Georgij Fleischmanni.

ANNO CIↃ. IↃ. XCV.

Clar^mo viro Dno D. Sigismundo Witilemb. ... Friburgen Amico

PAVLVS IOVIVS
HIST: SVI TEMPORIS
LIB. XI.

ERat Tarnouius militaris Diſciplinæ peritia, & conſilij grauitate antiquis Ducibus exæquandus.

REVERENDISSIMO, ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO EBERHARDO,

EPISCOPO SPIRENSI, ET PRÆPOSITO WEISSENBVRGENSI, Sacri Romani Imp: ſupremo Iudici, &c. Principi ac Domino ſuo Clementiſsimo.

EXTREMVM HOC mundi ſenium, quod ſterile virtutum, vitiorum fœcundiſsimũ eſt, Lernâ malorum, & pluſquam Lemnijs malis extremè premi & affligi, quiſquis ſenſerit & dixerit. rectè, vereq́ ſenſerit & dixerit: Rme & Illme Princeps, & Domine Clementiſsime Etenim quàm informis quà clam, quà palam, enormium ſcelerum facies?

Ira, ſuperſtitio, mœror, diſcordia, luxus,
Sanguinis atra ſitis, vini ſitis, & ſitis auri, *Prudent. in Hamar:*
Luxus, adulteriũ, dolus, obtrectatio, furtũ,

regnum in hoc mundi regno obtinent: & quæ superiori æuo floruerunt,

Seneca in Agam:

Periêre, mores, ius, decus, pietas, fides,
Et qui redire, cum perit, nescit pudor.

D. Cypr: de simplic: prælat:

Adimplentur (inquit D. Cypr:) quæcunq; prædicta sunt, & appropinquante iam seculi fine, hominum pariter ac temporum probatione venerunt; & magis aduersario veniente; error fallit, extollit stupor, liuor incendit, cupiditas excæcat, deprauat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira præcipitat, &c. Hinc fames, pestis, bellum, cædes, & aliæ catenatæ miseriæ, à supremo scelerum inspectore, iustißimo iudice, acerrimo vindice nobis immittuntur; neq; tamen adhuc, eheu!

Horat: Od: 3. lib. 1.

Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iouem ponere fulmina.

Imò, quod malorum summum est, eò stuporis & amentiæ peruenisse videmur, vt nobis sint blanda pericla maris, terror quoq; gratus in vndis. Hæc ideo à me scri-

bun-

buntur R^{me}. & Ill^{me.} Princeps, quòd cum nuper grauis & luctuosa Turcici belli tempestas, nostris concitata peccatis, in Romanum detonuerit & desæuierit Imperium; alia rursus bellica nubes, ad effundendum telorũ imbrem præparata supra caput astet, maiorem, nî DEVS *auertat, procellam effusura: vix quisquam sit, qui verũ Iustitiæ solem* CHRISTVM *pia sollicitet prece, vt radijs misericordiæ splẽdidissimis, & aura suæ clementiæ secundissima eam dissipet & disijciat: rari etiam, qui consilio, curis, re, manu, & corporibus suis, Scythicæ illi seruituti, & iurato Christiani sanguinis hosti sese opponant: pauci quibus*

——— Animus succumbere leto
Pro patria, & pulcram per vulnera quærere laudem.

Prudent: lib: 2. contra Symmachum.

Præclara sanè occasio, qua fortis fortitudinem, & animi robur probet, qua consultus consilium, qua prudens prudentiam, qua sapiens sapientiam suam ostendat & explicet. Cum enim iactura & periculum, quod timetur, in vniuersitatem

se porrecturum sit, nonne vniuersorum consilio & auxilio est auertendum? Atq; hoc me mouit, & permouit Ill^me Princeps & Præsul Amplissime, vt sapientissimam hanc, nobilissimi Comitis, & quondam in Poloniæ regno supremi gloriosissimiq; exercituum Ducis, IOANNIS TARNOVII de bello, cum barbara Turcorum immanitate gerendo, disputationem, quam ego, nondum, quod ego quidem sciam, publicè visam, paucis ab hinc annis, in priuatis conscriptam chartis, & cum blattis, tineisq; luctantem reperi; publicarem, & ab interitu vindicarem. Et permouit eò quidem facilius, tum; vt si non armis consilioq; proprio; alieno tamen, opera mea & labore euulgato, rem Christianam Christianus iuuarem: tum; ne disputationē ipsam exactissimæ prudentiæ nota insignem, non sine iniuria diutius apud me delitescere sinerem. Hoc enim, quod ei à me tribuitur, Encomium, non solum, quæ inuictissimo Imp. Cæs. Aug. Diuo CAROLO. V. Heroi fortissimo & felicissimo P^mæ. M. (cuius Maiestas nihil humile ferebat, perpolita longo vsu prudentia

vulgaria quæq; respuebat) inscriptio facta est, iure suo postulat: sed & approbant omnes, quibus cum eam communicaui, viri pietate & doctrina præstantes: Et, quod caput est, ipse etiam Princeps ille è paucis, omnigenis veræ virtutis titulis ornatißimus, & dexterrima vtriusq; Reip. administratione præclarißimus, R^mus. & Ill^mus. Dominus, Domin⁹ IVLIVS, VVirtzburgensis Episcopus, & Orientalis Franciæ Dux, cum eius C^ni. legenda & censenda quandoq; à me humiliter, vti par erat, oblata fuisset. Ita enim eam arridere sibi testatus est, vt ad maturandā editionē & benignè me hortaretur, & vrgeret. Porrò, qua prudentia, qua scientia rei militaris, qua eruditione, quo in Remp. nostram animo fuerit hic noster TARNOVIVS, è varijs rerum scriptoribus delibabo infra in notis, & annotabo potius, quàm vt fusè loco minimè idoneo explicem. Et hîc spero, vt figuram corporis speculum, sic tanti pectoris imaginem ipsa ostendet oratio. R^mæ. vero C^ni. Tuæ cur hanc opellam dedicem, & sub tutela nominis eius emittam, multis & iustis

moueor caussis. Hoc n. bellum Precibus quàm rectissimè geri, Moyses, Iosue, Dauid, & Machabæi testantur: Iustitiæ item administratione; sapientum Princeps Salomon sapienti declarat sententia. Iustitia eleuat gentem: miseros autẽ facit populos peccatum. *Quæ quam studiosè & semper, & hoc potissimum tempore, à Cne. Tua, Rme. Præsul, curantur? Ecclesiasticus, ijs pugnas armis, quibus vera & auita Ecclesia pugnandum monet: Iustitiæ supremus in Imperio Romano præses, iustitiam iustè administras: Christiani Imperij Princeps, & optas, & pro viribus efficis, vt hostis imperij Christiani grauissimus profligetur. Inuitauit me insuper Rmæ Cms Tuæ singularis beneuolentia, & eximia comitas, qua me Friburgo euocatum, ad se venientem, clementer excepit, hærentem in aula liberaliter fouit, & vnà cum fratrum suorum filijs, nepotibus charissimis, præclaræ indolis, & optimæ spei adolescentibus, meæ curæ disciplinæq́; traditis, Herbipolim proficiscentem benignè dimisit. Quibus tam amplis in me meritis cum referenda gratia lon-*

Prouerb: 14.

gè

gè minor ſim, committam ne ergo, vt curam eius officij non ſuſcepiſſe meritò arguar? Non ſanè: & ſi magna præſtare nequeam, parua tamen interea non negligam. Omninoq́; enitar & contendam, vt & quibuſcunq́; alijs in rebus, & præcipuè chariſſimis Rmæ. Cnis. Tuæ nepotibus omni virtute & eruditione (quantum mea quidem fert exiguitas) pia liberaliq́; educatione inſtituendis & ornandis, fructum exhibitæ gratiæ qualemcunq́; retuliſſe; & obſequi Rmæ. Cni Tuæ, humilimeq́; prorſus inſeruire voluiſſe videri poſſim. Datæ XVI. Kalend. Februarij. Anno Chriſti. cIↄ. Iↄ. XCV. Quem diem annis ab hinc centum viginti, obliterato eo, quod ex morte fortiſſimi victorioſiſſimiq́; herois, & arma Turcica viginti quatuor amplius annis indomita virtute exercentis, Georgij Caſtrioti Iſchenderbegi, nouem ante Annos obortus erat; mærore atq́; luctu; Chriſtianis lætiſſimum reddidit Stephanus Valachus: qui exiguis, triginta millium ſcilicet hominũ, eorumq́; agreſtium cum copijs, Centum viginti Turcorum millia; victricem illum & tantorum

Anno nimirũ Chriſtiano 1475. Mahumetano. 879.

Anno Chriſtiano 1466. Mahum. 871. ætat: Caſtrioti 63.

Impe-

Imperiorum domitorem Magni Muchemetis exercitum; memorabili in omne æuum clade, ad internecionem propè cæcidit, ac deleuit.

Rmæ. Cni. Tuæ

Humilimè obsequens

M. Ioannes Georgius
Scheidius.

IOANNIS COMITIS TARNOVII, IN POLONIÆ Regno Strategi nominatissimi,

DE BELLO,

Cum iuratißimis Christianæ fidei hostibus Tvrcis, *gerendo,*

Dispvtatio Sapientissima.

Inuictißimo Imperatori

CAROLO V. SEMPER AVGVSTO

Domino suo Clementissimo.

ETSI NVLLVM TEMpus prætermitti, Carole Imperator, à tua M^te. certum est, assiduè cogitandi de communi Christianæ Reip: salute, atque immanissima barbarie Turcica propulsanda. Non ob id tamen arbitror eius officiũ reprehensum iri, qui tam anxio & perturbato, planeq́ue confuso communium temporum statu, humiliter atque fideliter consulere aliquid in medium, pia quadam, & Christiana propensione conetur. Siquidem huiusmodi rerum facies ocu-

Imperatoris de Turcorũ rabie propulsanda sedula deliberatio.

Et hæc editionis causa.

lis

lis obiecta est, vt meritò cuiuis consulenti pro communi salute, tanquam gregarij militis voci, inclinatis rebus in acie, apud Imperatorem, locus esse debeat. Immò, sæpè profuisse, in publica trepidatione, infimorum consilia, haud obscuris documentis est cognitum. Neque enim, IMPERATOR INVICTISSIME, hoc quisquam suscipit aut tentat, vt curas aut solicitudines diuini animi tui, orbis terræ procurationem complexas, se acuere, augere, aut limare posse existimet. Quod in tanta sapientia tua, ac tanto maximarum rerum vsu, & summa copia prudentissimorum hominum cogitare, esset extremæ dementiæ, atque intolerabilis arrogantiæ. Sed cum ipsum periculum in præsentia vel longissimè dissitos attingat, iamque hoc flagrans incendium longè lateque deuastationem ac ruinam minetur: æquum est omnes paratos promtosque ad eius extinctionem accurrere, ac tuæ Mti. principi & autori pulcerrimi operis, præferenti signa, officium quisque suum pro virili exhibere. Sic ego, etsi fortè sapientiæ tuæ, in tanto Imperij fastigio, probare meam sedulitatem & conatum minimè possum, tamen deferendum putaui. Ne in tanta concursatione proferentium vndecunque debitum suum officium solus relictus, igna-

Commune periculum communi opera depellendum

uiæ ac socordiæ maculam sustineam. Quod interim ita à me exhibetur, vt nihil hîc meum sit proprium, exque meo penu depromtum. Totum est illius viri, qui propter summam autoritatem, & incredibilem rerum omnium experientiam, in subsellijs omnis prudentiæ consultissimorum, meritissimò principem locum obtinebit. Non sum nescius, Sapientissime Imperator, Comitem Tarnovivm, supremum ducem Regni Poloniæ, Mti. Tuæ notum esse, & acceptum. Qui propter peritiam rei bellicæ, & insignes victorias à barbaris hostibus reportatas, toto terrarum orbe, illustrium meritorum fama celebratissimum nomen est consecutus. Hic tantus vir, optimus dux, & grauissimus Senator, non modo sustinet personam huius consilij, sed eius indubitatus autor est, & architectus. Apud quem à castris Hungaricis reuersus, & Austriacam pestilentiam vitans, complures dies commoratus, pro veteri mihi constituta cum illo obseruantia & familiaritate, operam dedi, vt quæ ille pro singulari sua erga Remp. Christianam pietate, & incredibili erga Mtem. Tuam, eiusque fratrem Ferdinandvm studio, tam necessario tempore maximè salutaria est locutus, in scripta referrem: quæ, nunc in cæ-

Tarnouius prudentissimus.

Summus Dux.

tu palam se adeuntium, decumbens ex dolore pedum, dixit: nunc, remotis arbitris, seorsum mecum tractauit: quæ quidem ex illius ore excepta, sine vllis orationis cincinnis & calamistris, purè simpliciterque recensebo. Et quamuis eius vim & grauitatem in dicendo exprimere non possum: tamen enitar, vt fines & terminos illius sermonis non excedam. Qui sanè sermo, quamuis non vno tempore ab eo decursus est continenti oratione, sed interpolatis diebus & successiuis horis habitus: tamen ita dilucidè, grauiter, articulatè de toto negocio latinè disseruit, vt facilè animaduerti potuerit, in quot partes sermo ille, per eos dies habitus, esset diuisus. Primùm enim ratiocinatus est, de Concordia Christianorum Principum. Deinde de officio Imperatoris ad tantum bellum: Et quibus rebus nobis Turci præstarent. Postremò, quibus copijs & viribus Dei ope, cum hoste barbaro possit confligi: ac quibus Christiani illos antecellant. Vtinam Mti. Tuæ, INVICTISSIME IMPERATOR, conatus hic meus tam gratus exsistat, atque magnâ animi alacritate suscipitur: vt si fortè vir ille, ex raro hominum genere Dux, institutum tuum nullo inuento iuuerit, tamen non inglorium putandum est Principes viros,

Auctor disputationis huius.

Doctus.

Quinq; disputationis partes.

Idem votum meũ & vnicũ.

longissi-

longiſſimis locorum ſpatijs diſiunctos, cũ Mte. Tua multò ſapientiſſima, idem ſentire. Sed iam ipſum loquentem audiamus. Quis ſit eius ſenſus de vniuerſa re, exponã. Ipſe autem introducitur, perpetuo contextu ſingulas partes tractans, ne moleſtiſſimæ illæ voces, Inquã, & Inquit, ſæpius repetantur. De Concordia autem ſic eſt exorſus.

Equidem mihi conſcius ſum, in omni rerum vſu mediocritatis, atque adeò potius tenuitatis meæ: tamen cum poſt hanc funeſtam cladem, tantam vbique trepidationem, pauorem, ac conſternationem ſecutam audio, vt Chriſtiani fracti ac debilitati, barbari hoſtis aduentu animos deſpondere videantur, putaui me ſine ſcelere, & communis religionis offenſione, prætermittere non poſſe, quin ſenſum meum de hoc ſtatu rerum aperirem: Vt ſi fortè nihil nouæ medelæ præter cæteros adferrem, benè tamen & rectè ſentire voluiſſe, cum alijs bonis viris, cognoſcerer. Sed cum de modo & ratione arcendi huius hoſtis cogito, nihil tam aduerſarium eſt, nihil tam obſtat ſpei & fiduciæ conficiendi huius belli, quam diſſidium Principum Chriſtianorum, ac mutuò ſe delendi, nunc clam, nunc palam, mirifica ſtudia. Quæ ſanè niſi reſtincta fue-

I. diſputationis pars De Concordia.

rint,

rint, remissa, aut sedata: frustra recipitur omnis cogitatio de Turco profligando. Quare non possum non apertè & liberè, quid de hac parte sentiam, referre; antequam rationem ipsam gerendi belli attingam. Longum esset Christianos Principes admonere sui officij: cuius rationem referendam esse aliquando Summo DEO, non possunt ignorare. Taceo illa, quæ etiam in priuatorum reconciliatione interponuntur. Hoc vel illud resarciendum: si quid delictum sit, compensationem inducendam, atque id genus passim nota. Hoc autem animaduertant, vltionem ex priuato odio, quam arbitrantur in inimicum tendere, omnino in detrimentum ac perniciem totius Christianitatis vergere: deberet profectò maledictio, & dira hominum imprecatio, atque perpetua illa infamia, quæ ipsis ob huiusmodi facta inuritur; aliqua ex parte eos mouere: deberent Reges nominum dignitatem & vim tueri, quam sustinent, nisi se notatos omni macula & turpitudine apud posteritatem velint: deberent in idem incumbere re & facto, qui Euangelium sequi se purè profitentur. Nam vel ipso sole clarius est, religionem nostram, nobis dissidentibus intestinis odijs & bellis, opprimi & extingui; Mahometi sectam

Seriò expendendum.

cresce-

crescere & propagari. Discant Christiani Principes, exemplo verborum hostis nostri fidem suam propagare. Is, in confœderatione olim cum Ioanne Rege, requisitus, vt aliqua castra restitueret, respondit, id se libenter facturum, nisi obstarent templa Mahometicæ religioni dedicata: quæ non licere sibi tradere in manus Gavrorvm (ita enim Christianos vocant) proferebat. Si commiseratione & pietate non mouentur, cogitent commune periculum, & futuram calamitatem aliquando in ipsos redundaturam. Nam constat, non defuisse potentes Monarchas, florentes magnis opibus, quos publicus hostis Christiani nominis, eiusque maiores subiugarunt. Decimus iam Turcorum Cæsar dominatur, qui sanè, quantum ditionum sibi subiecerit, nemo est, qui non videt. Fallitur, qui putat eorum ambitionem facturam modum. Grassabitur hoc malum, quousque peruadat eorum dominia, qui nunc sunt non parua caussa huius dissidij. Nemo arbitretur ab eo occupatam Hungariam, vt conquiescat, eiusque finibus contenta aut expleta sit infinita & insatiabilis Barbari cupiditas. Non est existimandum aliter, quàm, eos multò acrius gloriæ & famæ stimulis agitari, quàm Christianos. Vbicunque trophæa fixerunt,

Hodiè XII. Murates.

Turcicæ ambitionis modus sine modo.

ibi non modo finis cupiditati; sed initium aliud, ex alio, nouæ cupiditatis, nouo successori locatur. Certè ob priuatas simultates non deberet Christiana Resp. negligi, cum videamus omnibus seculis, apud Ethnicos, priuatas offensiones crebrò salutis Reip: caussa sapienter condonatas. Quanto æquius est, nos facere, quibus ne priuatis quidem mutuo inter se flagrare odio, nostra persuasione, concessum est. Turcus non propulsat, sed infert bella Christianis. Principes autem Christiani potius in mutua viscera hastas vibrant, quàm in illum hostem capitalissimum eas contorqueant. Cum vero id agunt, vt videantur velle resistere, nunquam talem ordinem & delectum faciunt, vt iustis viribus eum propulsare queant. Plus hoc modo hostem irritant, quàm arcent, aut populos, fidemque Christianam defendant. Vereor, ne quis me concionatoris munus obire loquatur, si dixero, Principes à DEO in terris constitutos, vt iustitiam ex æquo administrent omnibus, subditos defendant, fidem propugnent. Adhæc, infimum quemque de plebe, coram DEO & hominibus reum agi, si non satisfaciat debito suo officio, ac vocationi suæ. Quanto magis ipsos Principes, quorum fidei & tutelæ commissi sunt,

Matth: 5.

id facere par eſt. Sed hæc,& id genus complura, non dubito ab alijs dicta eſſe multò diſertius. Vtinam à Principibus in actionem deducantur, quæ optima mente, quamuis odiosè, à viris bonis proferuntur. Non eſt ambigendum, ſi quis producto Catalogo bonorũ & malorum Principum interrogetur, cuius ſe ſimilem eſſe optaret, quin reſpondeat mox, niſi amens ſit, ſe malle potius Principis boni nomen & vitam referre; vtpote Trajani: quàm mali; vt Neronis: famamque ſibi peroptare ſupereſſe bonam, quàm malam. Nihil enim magis Tyrannicum, quàm negligere ſuam famam, nec curare, quid quisque de ſe exiſtimat. Hanc ſi viam affectant, ita ſe gerant in adminiſtranda Rep: vt laudabilem & ſempiternam famam bonis operibus poſt ſe relinquant. Habet Cæſar, & Rex Galliæ, cæterique Principes Chriſtiani, latiſſimum campum benemerendi de fide noſtra, ſibique & poſteris ſuis æternum decus, & nomen immortale comparandi. Summi Pontificis partes viderentur, vel præcipuè, poſthabitis priuatis negocijs, (* * * * * * *) Imperatorem & Regem Galliæ ad concordiam reducere: (ſi non poſſint firmam ſtabilire pacem,) ſaltem in aliquod tempus: vt ſi Rex tam ſanctum inſtitutum adjuuare no-

Quos imitari Principes debeant.

Sic Chriſtianiſſimum decet.

lit, ne tamen impediat. Eorum enim dissidio Turcus nanciscitur opportunitatem Christianos vexandi, & affligendi bellis. Quod ad Imperatorem attinet, non est obscurum, & olim eum magnis sumtibus in exercitus atque apparatum classium factis, multis fœderibus initis, dissimulatis & condonatis iniurijs, strenuam operam Reip: Christianæ nauasse. Sic Viennæ, & in Affrica, alijsque in locis. Sed semper, nescio quo fato, impeditum. Et nuper Ratisbonæ, quantum fieri potuit, Principes inter se conciliasse: idque sedulò eum facere, & facturum perpetuò, minimè dubito. Vtinam complures ad hoc sanctum opus sua pietate prouocet, incendat, atque inflammet. Ac tandem eatur obuiam hosti, ne vltra grassetur in Christianos, lanietque ac dissipet, & in nihilum redigat ouile CHRISTI. Forsan DEVS seruat IMPERATORI hanc laudem, ac omnibus, qui ad tantum, tam pium opus exsequendum, suas vires conferent, nimirum ad propulsandum Turcum à ceruicibus Christianorum. Si Rex Franciæ negat opem, aut ad hanc rem multò sanctissimam perficiendam subsidium, saltem non sit impedimento. Et vel hac modestia præmium à DEO, ab hominibus laudem promerebitur. Perspecta est opti-

Vtinam.

ma

ma voluntas Regis Ferdinandi, tot iam annos maximos labores, ſumtus, & pericula, pro Rep: Chriſtiana ſuſtinentis, Credibile eſt etiam, domeſticas diſcordias Germaniæ non futuras impedimento, Si Cæsarea Mtas. ſuſpenſis controuerſijs ad aliquam legitimam cognitionem, concedat partibus pacem, vel ad tempus aliquod. Nam & proprium periculum, quod impendet à Turcis, & alia multa impedimenta retinent eos, ne moueant vlli inteſtina bella. Quod ſi Imperator conſpirantem bonorum Principum voluntatem offendet, & hanc tum neceſſariam, tum piam expeditionem parabit: prouidendum erit, vt id ſit certum, ac cum conſtantia quadam ac fide bona agatur. Ne poſthac relinquantur in periculo, qui eos adiuuerint, quique viciniores fuerint: vt Venetis contigit bis, nec non Vladiſlao Hungariæ & Poloniæ Regi, ad perſuaſionem Pontificis Eugenij ſuſcipientis bellum. Nunquam patuit Chriſtianis facilior aditus ad eum inuadendum, quàm hoc tempore, quo penetralia Chriſtianarum ditionum eſt ingreſſus. Non erit per aſperos difficileſque montes quærendus. Non per longè diſsita, periculoſaque maria inſectandus: ſed iam eſt in viſceribus Chriſtianitatis. Nunquam hominum me-

Germaniæ diſſenſiones bello Turcico valdè officiunt.

Quo tempore Turca inuadendus.

moria potuit facilius, & cum minore periculo, quàm nunc, debellari. Quando autem tam Sanctum opus, iustum, pium, & necessarium est adgrediendum? (neque enim sine extremo malo omitti potest). Est hic hostis inuadendus, antequam in Hungaria possessionem corroboret, pedemque figat. Difficilè enim posthac eijci posset. Hungaria enim est prouincia fortissima, validissimis oppidis, & arcibus, ac plurimis castris mirabiliter munita, Danubij fluuij infinita commoditate prouisa. Est profectò Hungaria propugnaculum Christiani orbis. Inde, nisi in tempore occurratur, huius barbari hostis furore amissis copijs, reliquæ florentissimæ nationes longè lateque direptione, incendijs, deformari ac deuastari possunt, multò etiam, quàm olim ab Atila, crudelius, & immanius. Videmus enim & olim Romanis Imperatoribus maximè curæ fuisse Pannonias, tanquam medium locum Europæ, & cor Imperij. Inde patet aditus in Italiam, Germaniam, Poloniam: & ab altera parte in Illyricum, & Turciam, & totum Orientem: nec ad Europam occupandam vlla sedes opportunior est. Magnitudo rei, quam cautionem & prouisionem requirat, ipsa me tacente, per se loquitur. Si in ista prouincia, (quod Deus

Hungariæ opportunitas.

Rei magnitudo.

pro-

prohibeat) dominium suum firmauerit, difficulter exturbabitur. Quod si barbarus ad inducias aliquas se demittet, non est existimandum, eas diuturniores fore, quàm quoad ille voluerit. Nec diutius sane volet, donec in solo Hungariæ firmum pedem fixerit. Nemo debet ambigere, nisi prorsus alienus à Christiana fide, quin collocata fiducia in DEVM, Turcam possimus propulsare, ac etiam delere. DEVS non solet pro fide sua pugnantes deserere, si id bona fide egerint. Nec timenda est eorum multitudo, quæ magna ex parte imbellis est & inermis. Qui velint animum ad hoc institutum intendere, possunt animaduertere, non multitudine eos vincere, sed præcipuo adiumento eos vti ad victoriam, dissensione Christianorum. Multa sanè exempla adduci possunt, quod Turcus vi ferè nihil obtinuerit: quin semper innixus hac vel illa inter Principes Christianos discordia: quibus inter se digladiantibus pro hoc, aut illo loco (vt nunc in Hungaria factum est) cum magna prærogatiua suæ fortunæ nos adortus est. Hæc sunt, quæ Dux TARNOVIVS, non minori doctrina, quã eximia prudentia insignis, de Principum discordia disseruit: ad quæ me aliquid adfingere, vel adsuere de meo, & ipsius dignitas vetat, &

Turcarum induciæ infidæ.

Dei auxilium bonis præsto.

mea me exiſtimatio prohibet, ac ipſe pudor non ſinit. De his, quibus Turci Chriſtianis ſuperiores ſunt; deque officio Imperatoris, belli prouinciam ſuſcepturi, in hunc modum verba fecit.

II. Diſputationis pars. De iis, quibus Chriſtianis Turcæ præſtare videntur.

1. Equitatu.

Etſi multa ſunt, quæ aduertere animum ducem huius expeditionis deceat (quorum ſingula perſequi non eſt neceſſarium) hoc in poſtremis ponendum non eſt, diligenter expendere, quibus Turci Chriſtianis præſtent. Videmus autem illos vti inprimis præcopioſo equitatu, Chriſtianos peditatu: quod non arbitror magno commodo nobis cedere. Nam certum & exploratum habetur, Turcos à peditibus noſtris, qui paucos aut nullos habent equites, detrimento affici non poſſe. Præterea hoc incommodi accedit, quod equites nequeant Turcos profligare ſeparatim iſtis leuioribus prælijs. Ita illis relinquitur facultas, quaqua verſus, ſine vllo obſtaculo, liberè depopulandi ac deuaſtandi. Deinde multum contra nos facit, quod Turcus habet gentem vnius ſubiectionis atque obedientiæ: apud noſtros longè diuerſum. In Chriſtiano quippè exercitu diuerſæ militant nationes, diuerſorum inter ſe animorum. Vna natio aliam odit, vt nonunquam acciderit tantam in vno exercitu diſcordiam, atque

2. Nationum conſenſione.

diſsi-

dissidium ortum, vt vix (quod valdè detestandum est) à mutua cæde sibi temperârint. Quid tum de ducibus, & præfectis ordinum, ex varijs nationibus conflatis, quàm crebræ inter illos, non modo rixæ & altercationes, sed noxiæ dissensiones: dum vnus alteri non concordat, ac non modo non fauet, sed apertè inuidet. Hinc efficitur, vt si iustus aliquis exercitus cogatur, discordia tamen huiusmodi facilè dilabatur ac dissipetur. Nunc quanta vis atque facultas Turcorum Cæsari in Thesauro posita est, quem in sua manu ac potestate obtinet, eumque erogat pro arbitrio & necessitate, vti illi melius & consultius videtur. Contra porro habent necesse Christiani: Si velint resistere, ex diuersis loculis depromere, atque contribuere necesse est, Quod ipsum tamen perexiguum est: neque eo numerosus exercitus ali, aut certè diu sustentari potest. Inde insignis ille error sequitur, sæpè conduci militem, cum minimè res, tempusque postulat, maximè autem necessario tempore desiderari. Videmus Turcas in oppugnandis ciuitatibus & castris abundare numero operariorum ad fossas ducendas & vineas agendas, aliaque onera subeunda. Christianis verò magna ex parte deesse, aut pauciores omnino esse, quàm necessitas

3. Pecuniæ abundantia.

4. Multitudine operarum.

5. *Consiliorum silētio.*

deposcat. Illud haud scio, an primas teneat in rebus fœliciter gerendis. Occulta habet sua consilia: Apud Christianos nostra passim vulgari ac dispergi pingendo & scribendo, antequam ad rem veniatur, non leuis error est. Vnde hostis non modo edoceri commodè nostra consilia, sed iure sumtibus in exploratores parcere potest. Quamquam interim ille abundat pessimis hominibus, qui se à religione nostra abdicarunt, etiam Iudæis, quorum impigra, in nostris rebus speculandis, vtitur opera, eaque non ignaua. Principes vero Christiani vix vllam impensam in Exploratores faciunt, rem adeò necessariam, vt talium beneficio res maximas perfici posse, nemo paulo peritior neget. In præsenti vero summa commoditas istarũ rerum ad manum est, paruo sumtu, tum nullo penè negocio, in vicinis locis, & quasi domi nostræ, ne procul sint, incerta spe reditus, ablegandi. Quid iam de victu Turcorum dicemus? Illi non alio cibo, neque potu vtuntur in castris, quàm domi, atque eam ob rem non incidunt in ægritudines istas, quibus Christiani plerumque sunt obnoxij. In exercitu enim Christiano quam primum milites aquam continuò potant, pecudum recens excoriatarum carnes adhuc tepidas, aut fructus

6 *Victus duritiā.*

aui-

auidius vorant, quò sæpè impellit lautitiarum inopia, mox febribus, dysenteria, atque alijs morbis corripiuntur. Turcis vero hic victus familiaris est, & quotidianus.

Quibus rebus omnibus superius à me commemoratis, vt obuiam eatur & prospiciatur, hæc, quæ sequuntur, ab Imperatore, aut eius vicario vel substituto, aut primario belli duce, curari, & prouideri conuenit. Principiò, vt belli neruus talis congregetur, qui stipendio militibus dando (de quorum numero mox agemus) ad biennium sufficiat, deductis interim singulis annis trimestri stipendio, vt paulò infra ostendemus: ne defectus stipendij, hac ratione parandi nerui posthabita; memorabiles occasiones remoretur, impediat, aut perimat. Nam cum his rebus in tempore minus prospectum est, emendicanda laboriosè venit pecunia; & à multis ægrè præstatur, ac vix vnquam opportunè apportatur. Et hoc pacto, exercitus aut serius conflatur, aut citius dimittitur, quàm expediat: ac tum opera (quod ajunt,) & impensa perdita est: hosti animus crescit. Summoperè præstandum est duci belli, vt persuadeat ac annitatur, vt quæcunque in exercitu fuerint nationes, earundem sint voluntatum, & similium studiorum, procul exterminatis odijs,

III. Disput: pars De Exercituũ Ducis officio.

1. A stipendijs instructus sit.

Ad mutuam nationum consensionem incumbat.

tumul-

tumultu, factionibus, verissimis pestibus clarissimorum exercituum, atque adeò rerum in omni administratione maximarum. Præterea cauendum, ne indies in socios prædas atque rapinas exerceant: quod pessimo exemplo nonunquam contigit. Qua insolentia non modo hominum odia in se concitant: sed & DEI. OPT: MAX: majestas grauissimè offenditur. Meminisse consentaneum est, eos qui bello interfuturi sunt, se non ad diuersa opera, sed omnes in vnum maximè, maximè pium & Christianum; nimirum, vt sempiternum hostem omnium nationum, & Christiani maximè nominis, propulsent, fidemque sanctam defendant; conuenisse. Ita danda est opera, ne vna natio alteri sit infesta atque infensa: & quamdiu stipendia simul faciunt, se mutuò fraterna beneuolentia, atque amore complectantur: nec aliud quærant ex hoc, quàm gloriam DEI: & honorem, & gloriam, quæ vltro & spontè præclarè gesta comitatur. Ducum belli, Tribunorum militarium, & Centurionum munus est, ne alius in alium hostili aut inimico sit animo. Quod quisq; intelligit, ac prouidet, liberè in medium proferat, atque consulat: benignè quisque alium audiat: nemo alterius dicta aut facta impediat, quæ ad vtilita-

3. ne in socios & amicos hostis sit.

Belli finem & sibi & suis inculcet.

Sit in consilijs amica libertas

tem aliquam rei benè gerendæ faciunt. Quilibet enim persuasum habeat, vbi res prosperè gesta fuerit, omnes participes & socios ex æquo præclari facti, & partæ gloriæ futuros. Quò autem à me adducta concordia, & consensio animorum, inter tot dispersas nationes, lingua & morib⁹ discrepantes, coëat: necesse est, vt aut Imperator Carolvs, aut Rex aliquis, vel, loco sui, vicarius, summam belli administret: (nec aliter res succedent,) quem externæ nationes ament, reuereantur, obseruent, atque exactissima obedientia colant. Ipse etiam præstandam curet, seueritate disciplinæ militaris, & delictorum pœnis, sine exceptione aut respectu, infligendis. Hæc vna, vel adeò sola mihi videtur ratio, tollendi hujusmodi dissensiones, si omnes subsint vni capiti, ac vnius imperio obtemperent. Nec par est, ad tantam belli molem gestandam, aliam rationem iniri. Nam, si quis inferior conditione homo imperio præficeretur, non aut Rex, aut Dux, siue Princeps fuerit, (cum raræ Regum personæ sint, & iure omnibus, tanquam numina venerandæ,) non deessent, qui verecundia impedirentur talibus subesse, aut se submittere: quem, tantum abest, vt timerent, aut

Ad concordiam valet Ducis ipsius persona.

Adsit coercitio.

Sit in Duce authoritas.

honorem, aut triumphum illi fauerent, vt ne obſecundare quidem illi, aut morem gerere, vlla in re, vellent. Quo ſtatu rerum, nihil perduci ad laudatum exitum poteſt: nec natio nationi vllo modo ſtudebit, aut ex animo cupiet. Multa mihi dicenda eſſent, de correctione diſciplinæ militaris. Sed, quia ea res à multis eſt animaduerſa, breuior ſum. Hoc quidem inprimis graui pœna ſanciri vellem, nequis Sacroſanctum DEI nomen flagitiosè proſcinderet: & præter incommodum luxum, tantam quoque colluuiem ſcortorum ſecum pertrahendi, illaudatum morem poſthaberent. Vnde non modo commeatui pernicies, ſed dedecus quoddam, ac infamis diſſolutio naſcitur. Commoueat eos indigniſſima vox cuiuſdam Baſſæ, qui, in ſuperioribus prælijs, in expugnatis caſtris Germanorum, intuitus copiam meretricum, dicebat iratus, *ſe adductum, non ad oppugnanda caſtra militum, ſed Luparum.* Quiſquis itaque Regum hoc onus, ac prouinciam, adminiſtrandæ, atque moderandæ huius gubernationis, ſuſcipiet, is, cum ſe mortalem genitum eſſe ſciat, ſi fortè, in tam memorabili, ac Chriſtiana occupatione mortem oppetet, nullum deſiderium de ſe clarius, nullam famam celebriorem, nullam gloriam denique magis perennem,

E caſtris & juramenta impia eijciantur:

Et impuræ libidines.

Proh pudor!

Vera Imperatoris gloria.

nem,

nem, relinquere optimo iure poteſt. Hæc ijſdem ferè verbis pertractauit vir peritiſſimus, grauitate quidem alia, ſed mihi inimitabili, nuſquam tamen ab eius ſententia diſceſſi. Nullam ego hìc laudẽ eloquentiæ, aut gloriolam induſtriæ aucupor: modo candoris mei, & fidei ratio Mti. Tuæ conſtare poſſit. Sed, nunc illum ipſum, de numero militum ad hoc bellum neceſſario, audiamus, & ratione ſuperandi hoſtes.

IV. Diſputationis pars.

De ratione ſuperãdi hoſtes.

Reliquum eſt vt dicam (eſt enim hoc ſummoperè neceſſarium) quanto numero militum animosè cum hoſte confligi, & conſeri manus poſsint. Interim, illud obſeruari præcipiendum, vt ſupplementa ſemper in tempore mittantur. Accidit enim nunc morbis, nunc paruulis prælijs, ſæpè etiam fuga, milites abſumi, aut deſiderari. Exercitus erit, Equitum leuis armaturæ XXXII. millium, grauis armaturæ VI. millium: Peditum XXXII. millium: Foſſorum duo millia. Adhæc Bombardarum, quanta comparari poteſt copia, de quare nihil præſcribo. Nam Duces, rei bellicæ periti, facilè iudicare poſſunt, quali apparatu, & quanto numero, ad talem exercitum ſit opus. Sed cum ad talem exercitum multa impenſa, ſumtuque ſit opus, (non quod aut fieri, aut perfici nequeat:

Quis Equitum peditumque numerus eſſe debeat.

Ordo videtur eſſe paulò confuſior.

queat: imò, ſpes certa, & fiducia mihi eſt in DEO, his copijs impigrè, & gnauiter illi reſiſti poſſe: ad vires Imperatoris, & Germaniæ, accedent Bohemi, Moraui, Sleſitæ, ac pars Hungariæ: quorum adjunctione, hunc numerum compleri facilè poſſe, exiſtimo) qui cum poteſtate in expeditione futurus eſt, ſi qua fieri poterit, vt ſtipendium minuatur curet. Haud æquum eſt, quemquã terreri multitudine hoſtium, ſed etiam alia conſideranda ſunt: num hoſtis in omnibus ſuperior ſit? Omnia vero fortunæ poteſtati concedere, eſſet non modo malè mulctandæ ſtultitiæ, ſed extremæ cujuſdam, ac exitioſæ dementiæ.

V. Diſputationis pars. Quibus antecellant Turcis Chriſtiani 1. Bellica virtute. 2. Armorum copia. 3. Militũ conditione

Hoc porrò diligenter, & accuratè conſiderandum, quo hoſtis antecellat, quoue rurſus nobis ſit inferior. Quamquam Turci ſint copijs numeroſiores: gratia tamen, & ope DEI, bellicoſiores ſunt Chriſtiani, & armis melius inſtructi: & equos habent, in congreſſu robuſtiores, & valentiores: Suntque equites omnes haſtati: Turci non omnes haſtis vtuntur, ſuntque plerique inermes. In Turcorum exercitu, multi ſunt ſerui (quos Sclauos vulgò vocamus) multi illiberi homines, diuerſarum nationum, qui in bello non ſolent eſſe conſtantes. Quod autem in

hoſtili

hoſtili exercitu conſtanter manent, id minimè mirandum eſt, ab illis fieri. Vident Chriſtianos negligenti ordine, ac prauo regimine, & corrupta diſciplina, res ſuas conſtituere: fortunam Turcarum optatis vti ſucceſſibus. Non dubium eſt, ſi Chriſtianorum fortunam viderent mutari, animum & ipſi mutarent. Quis enim illiber poteſt conſtanter in prælio manere, cum peroptaret, potius ſuum Dominum extingui, vt libertatem recuperaret. Ad inſtitutum noſtrum non parum facit, quod cum paruus ſit exercitus noſter, commeatus facilior erit procuratio. Adhæc, in certam ſpem venio, Chriſtianos in congreſſu fortiores fore. Si in anguſto loco erit congrediendum, adiuuabit loci commoditas: Si in plano & ſpatioſo; profuerit maiorem in modum, carris in orbem connexis pro vallo vti, illis, quando res poſtulat, progredi, & caſtrametari. Poſtremò, hoc nobis non paruos animos addit, fiduciamque confirmat, Turcorum Cæſarem non poſſe habere ſupra Sexaginta millia delectæ gentis: idque ita eſſe, experientia ſumus edocti. Sed iam præter ipſas vires, & robur, quæ res externæ ſunt, nonne fide in Devm nos erigi decet, qui iuſtos, & ſperantes in ſe, nunquam non iuuare ſolet. Stat pro nobis Iu-

4. Commeatus facilitate.

5. Delectu

6. vera religione.

Et Iustitia stitia. Illi enim inferunt bellum, Christiani propulsant. Si viri sumus, nos confortatos esse decet. Ipsi enim agunt pro dominatu, pro ambitione, pro opinione illa insculpta illorum mentibus, sectam armis propagandam. Nos religiosius multò, pro vera fide, pro ipsa vita, & sanguine, pro liberis, vxore, parentibus, atque omnibus denique fortunis nostris: ne vel hostili gladio, vt oues sine protectione; pereamus, vel in fœdam, & crudelem seruitutem rapiamur. His supra commemoratis, adjungenda & illa ratio est. Omnes, qui in bello cũ Imperio aliquo futuri sunt, ipse autem supremus Imperator inprimis; genus belli dignoscere debet: vt cum quo hoste pugnandum sit, & quomodo se in conflictu gerant, suos sciant edocere, & quo pacto se habere debeant. Turci enim pugnant fugiendo, & quamuis videantur fugere in primo congressu, (simulant enim, & pulcrè mentiuntur fugam) Duces deberent cauere, ne temerè eos insequantur, sed prouidè, & cum ordine: ne nostros, palantes & dispersos nacti, circumdatos opprimant. In hoc quoque non minimum monenti erit, immutanda esse multa in exercitu Christiano: vtpote ordinationem, & dispositionem acierum. Nam, Christiani non alio ordine in-

Belli genus cognoscendũ.

cedunt contra Turcum, quàm inter se congredi consueuerunt. Quare, summa cura prouidendum erit, vt perpendatur modus Turcorum in congressu: ad quem, accommodanda erit ratio, instruendi Christianorum acies. Quæ sanè consideratio mihi non videtur in postremis collocanda. Totus autem fortunæ euentus, pendet ab vna victoria. Nam, Turcus non externis, sed suis copijs vtitur: & quocunq; ille proficiscatur, eo robur suum omne educit: quo semel profligato, & prostrato, nunquam amplius ceruices eriget. Et sanè, vanus est ille terror, existimare, eum perpetuam habere fortunam: cum homo sit, non Devs: poteritque profligari, deleri, vinci, & quiduis aliud. Quod si etiam iusta acie profligatus, aut superatus non fuerit: satis tamen victoriæ, & non parum gloriæ partum erit, si Hungaria ab illius Tyrannide vindicata fuerit: & Christianorum virtute compellatur, ad remotiores sedes retrocedere, atque intra sui regni fines se continere. Non est in eius manu, vt annis continuis bella gerat: necesse est, eum gentibus à se longissimè dissitis dare otium, quietem, tempus. Ad hyemem possunt, de stipendio majoris partis exercitus, deduci tres menses, & seruari duntaxat aliquot millia equitum, leuiter ar-

Victoria in vna victoria.

Turcus nõ est inuictus.

Hybernæ copiæ.

matorum: ne Turci vaſtent illa loca, per quæ Chriſtianorum exercitui faciendum eſt iter: quos equites, qui ſeruabuntur, leuibus prælijs arcere poterunt.

Hæc TARNOVIVS, magna ex parte his verbis, commemorauit, ſuam curam & ſolicitudinem, quam animo circumfert de Rep. Chriſtiana, ſæpè magno cum gemitu ſignificans: repetens omnes veteres, & noſtri temporis expeditiones, ſuſceptas aduerſus Tyrannidem Turcicam, præcipuè ab Hungaris & Polonis; quorum voluntatem & virtutem prædicabat. Horum armis diu reliquam Europam defenſam eſſe, nunc vero cæteras nationes intellecturas, quanto ſint in periculo, quaſi nudatæ vallo & muro, amiſſa Hungaria, dicebat. Sed hac ſe conſolatione ſuſtentari oſtendebat, quòd certum eſſet DEVM non conceſſurum eſſe, vt penitus deleatur Chriſti nomen. Deinde, quod, cum Imperatoris CAROLI excellens ſit virtus, auctoritas, pietas, felicitas: ſpes eſſet DEVM eius conſilijs adfuturum eſſe. Magnum etiam in Regis FERDINANDI diligentia & virtute; & in Diuorum fratrum concordia, & mutua pietate, præſidium eſſe dicebat. Videtur & hoc,

Meliori, vti videtur, ordine.

ſingu-

ſingulari Dei clementia, in hoc extremo periculo orbis terrarum prouiſum eſſe, vt Imperij faſtigium teneret Carolvs Imperator, non ſolum potentia, ſed etiam auctoritate & charitate multarum gentium, antecellens prioribus Imperatoribus. Multum enim momenti allatura eſt ad rem tantam, coniunctio Italiæ, Hiſpaniæ, Germaniæ. Deniq́ue ſæpè teſtabatur Tarnovivs, ſe nihil magis optare, ac in votis habere, quàm vt Reip: Chriſtianæ opera ſua, conſilio, ſtudio, amore, ac omnino qualicunq́ue ratione prodeſſe poſſet.

Habes inuictiſſime Imperator, ac Domine Clementiſſime, Tarnovii Ducis fortiſſimi ſententiam de hoc bello gerendo. Quam duxi ſignificandã eſſe Mti. Tuæ: ac oro, vt ſtudium meum pro tua heroina clementia boni conſulas. Non ambitione, non curioſitate, ad hæc ſignificanda incitatus ſum, ſed quadam pia conſolatione, in hac tanta trepidatione publica, ac obſeruantia debita Mti. Tuæ. Quam, precor, vt Devs pater Cæleſtis verus exercituum dux & Dominus ad propugnandam filij ſui gloriam, ad tuendam, & propagandam Chriſtianam ſalutem, cum ſempiter- *Concluſio.*

na nominis tui gloria, quàm diutissimè, pro eius merito, seruet incolumē. Datum Cracouiæ XIV. Cal. Octob: MDXLII.

Mtis. Tuæ.

Humilimus S.

Ioan: Strasius.

IOANNIS GEORGII SCHEIDII,

Ad TARNOVIANAM DISPVTATIONEM

NOTÆ.

SIquidem huiusmodi rerum facies] Qui ſtatum præſentis æui tam afflictum, & collapſas adeò Chriſtianorũ res vel obiter ſaltem aſpexerit: non, opinor, vitio vertet ſtudium eorum, qui ſuccurrere ijs; & vel manu ſubleuare, vel erigere conſilio, quod labefactatum eſt, conantur. Maior ſanè benemerendi materia, quàm vt ab ea quiſquam inuidè repelli; immanior eſt periculi magnitudo, quàm vt cuiuſquam ſubſidium meritò reſpui vel poſſit, vel debeat. Europam noſtram quicunq; caſus manet, vniuersè ſimul ad omnes attinet. Quidni igitur, feliciter vt eueniat, communi conſilio omnes annitantur? Nunquam certè nimis multi conſultores eſſe, videri poſſunt, ipſamet inſtantis periculi magnitudi- Pag. 9.

ne copiam excusante. Summæ præterea modestiæ, nec minoris prudentiæ est, ab omnibus admoneri velle; *& in arduis consultationibus attentè cupideq́ꝫ, quotquot dare consilium volunt, audire.* Neque enim statim, vt quemque audiuimus, in eius sententiam ire cogimur. Quæ quisque maximè salutaria, quæ factu optima docuit, eligere licet: *Et quæ probanda sunt, non quæ vtique probabuntur, sequemur.* Iam vero illi, qui prudentiores à minus prudentibus non admonendos censent, nimis inepti sunt. Nam vilissimi quoque & abiectissimi hominis opera, sæuientes in domum vel vrbem aliquam flammas restingui, nemo non fert: *Summi quoq́ꝫ gubernatores in magnis nonunquam tempestatibus à vectoribus admoneri se patiuntur*: & publicis rebus tam dubijs, discrimine tam ancipiti, monita præclara, à quocunque tandem profecta, quisquam fastidiat? Non id, scilicet, excitatum est superioribus annis in Hungaria incendium, cuius fumus vel nostros quoque oculos perstringat: non ea tempestas commota, quæ & nostris etiam agris longè lateque vastationem minetur. Rebus equidē sic stantib⁹, non modo auidè arripiendum esse; sed & *magno quoq́ꝫ emendum fidele prudensq́ꝫ consilium*: *& siue id meditatò quis depromserit, siue subitò effuderit; acceptandum*:

Demost: 1. Olinth:

Vell lib. 11.

Cic: Philip. 7.

Olinth. 1.

cum

cum lumine illo Græcæ eloquentiæ Demosthene, prorsus assero. Nam *Summa sæpè ingenia in occulto latere: & sub sordido palliolo sæpe sapientiam esse: sæpeq; etiam holitorem valdè opportuna locutum*, tam vulgò constat, ~~vt & iam~~ olim prouerbio locum dederit. Hæc autem in eum finem à me dicuntur, vt editionem hanc non temerè susceptam esse, manifestũ facerem. Nam etiamsi TARNOVIVS mediocris peritiæ dignitatisque homo foret, meritò tamen ei fides adhibenda esset: cum vero vtroque summè excelluerit (id quod paucis iamiam ex histori js annotabo) neutiquam sanè respui, aut contemni debet. *Sana certè consultatio ex eruditione, rerumq; peritia, & experimento contingit*; &, *in persuadendo nihil est optabilius, quàm dignitas.*

Plaut. in capt: Cic. Tusc. 3 Agell. Noct. lib. 2. c. 6.

Bias apud Laërt. Cic 2. de Orat.

Pag. 11.

Non sum nescius, sapientißime Imperator, Comitem TARNOVIVM, *&c. Mti. Tuæ notum esse.*] Sufficere posset, quod in limine Disputationis positum est, TARNOVIANÆ VIRTVTIS ENCOMIVM. Sed accedat bonus ille Polonicarum rerum scriptor Cromerus. *Bis à Sigismundo I. Poloniæ Rege contra Turcos in Hungariam Ludouico Regi* ex fratre Vladislao nepoti, *missa auxilia. Quo vtroq; tempore* (inquit Cromerus,) *vtinam prius quidem* VIRO ILLVSTRI ET

Crõ: orat: funeb. Sigism: 1. Reg:

Incomparabili *Ioanni Comiti Tarnouio, earum copiarum ductori, posterius vero Gnoinio obtemperatum esset. Vterq; Turcica arma viresq; periclitatus erat in Podolia, cum illi inde aliquoties prædas egissent. Sed magis Tarnouius. Cuius præclara virtus enituit, quo tempore Turci, ad tredecim millia, Podoliã, ad Leopolim vsq; & fines Hungariæ, ferro igniq; vastantes, tria millia plus minus de suis, particularibus aliquot prælijs fusi, amisêre. Quod si idem robur animi fuisset in eo, penes quem tunc erat militare Imperium, potuerat exercitus ille cunctus deleri.* Innuere velle Cromerus videtur, non tam facilè cessurum fuisse Turcis Belgradum, (Nam Soleimane Turcorum Sultano id obsidente, Tarnouius Comes senis cum equitum pteditumque millibus Hungaro Regi subsidio missus) si Tarnouij consilijs locus fuisset. Et vero, ne quis communi patriæ, nationique datum hoc à Cromero arbitretur, sequentia, quæso, perpendat. Tarnouium nostrum *Moscos ad arcem Staro: dubam ingenti prælio superasse, sæpeq; Tattarorum irruptiones, felici victoria vindicatis iniurijs repreßisse,* Iouius narrat. *Ioanne Tarnouio nostros ducente, Homiam, & Starodubum arces, à nostris partim vi captas, partim in deditionem acceptas, Mosci amisêre,* ait idem Cromerus. *Et Starodubum quidem, cum quindecim millibus armatorum, qui fuerunt in eius arcis præsidio, virtute longè pau-*

Vapo. frag:

Ineunte Iulio A.C. 1521. *Mæbum* 9. 7 *obsessum, expugnatum* 29. *Augusti.*

lib. hist. 40.

dicta erat:

ciorum militum nostrorum, & sulfurei pulueris, ignisq; adiumento expugnatum, & euersum est. Tartari Præcopienses cū A. Christi CIↃ. IↃ. XXXIV. Podoliam modo ingressus, & verno quidem adhuc tempore domum reuersus esset Tarnouius; sola nominis eius fama metu oppreßi, quod aliàs minimè facturi erant, eo toto anno quieuerunt: nihilq; incommodi à ferocißima alioquin gente, ea æstate Podolia perpessa est. Sed longè illustrius virtutis suæ specimen, fusis fugatisque ad Obertinum vicum Moldauis dedit. Rem ipsam ex Iouio, Vapouioque breuiter narrabo. *Superatus, ad Gvvosdeciam Pochutiæ regionis arcem, cruento prælio sex Valachorum millibus, qua cum gente de finibus sæpißimè dimicabatur: & ipsa arce, Moldauis eiectis, recuperata, præsidioq; firmata, retro iam abire cœperat Tarnouius. Cum nuntiatum est, hostem numeroso duorum & viginti milliū exercitu, & terrore tormentorum cuncta quatientem, magna celeritate aduentare, & iam fines Regni ingressum, haud procul inde castrametatum esse. Polono duci,* Si Iouio credamus, *præter peditum cohortes, septem erant equitum millia, prætoriana cataphractorum ala;* Si Vapouio: *quatuor tantum equitum, peditumq; millia. Sed* INGENTIS ANIMI VIR, QVI AD NVLLIVS VNQVAM HOSTIS CONSPECTVM TERRITVS FVIT, *in temeritate hostis victoriæ spem reponens, magna timoris simulatione suos continet, & aliquandiu sin-*

Vapo: frag: A. Mah. 940

Iou: lib: 40. Vap: fragm:

gula-

Insignis haec victoria 22. Augusti A. C. 1530 (Ioan: Dantisco, Epõ. Culmensi A. 1531.) Mahum: 936. parta.

gulari patientia, vt in contemtum deueniret, militum ardorem monendo obtestandoq; reprimit. Tandem, constanti atq; laetißimo vultu insignes quosq; equites nominatim, atq; signiferos adhortatus, acerrimo impetu in Moldauos, quibus paulò ante nulla maior cura erat, quàm ne Poloni copiarum suarum magnitudine consternati, fuga elaberentur; erumpit: magna editur caedes, & insolentes Barbari tantae virtutis facinore attoniti, circumuenti in medio conciduntur, & in fugam vertuntur, tormentaque vniuersa, ipso hostium duce suscepto vulnere aegrè profugiente, capiuntur. Hac excellenti virtute sua, & ista Moldauica praesertim victoria CLARVS, ET OMNI LAVDE CVMVLATISSIMVS TARNOVIVS *non tantum à Rege suo, cùm alijs non obscuris beneficijs ornatus; tum ad summum dignitatis fastigium totius Poloniae consensu euectus fuit:* sed &, *vti summus bello Dux, eo, qui, supremo militaris imperij nomine deinde ad Ioachimum Brandenburgensem delato,* aduersus Turcos in Hungariam missus fuit, XXX *millium peditum, & equitum armatorum. VII. millium Germanici nominis exercitu, multorum iudicio votoque, ad certam spem victoriae longè dignißimus habitus: & ab ipso* FERDINANDO CAES: DESIG: *ad tanti muneris operam praestandam,* immortali, & inuidenda Germanis sua cum gloria *inuitatus fuit.*

Crom: d. orat: fun:

Iou: lib: 42. hist.

Tamen cum post hanc funestam cladem.] Eam procul dubio autor intelligit, quam infaustis VVilhelmi Rogendorffij, ad obsessæ Budæ mænia obstinatius hærentis, auspicijs accepimus. *Quo bello supra viginti millia Christianorum capitum varijs casibus interemta traduntur: ipso etiam Duce vulneris ac animi dolore exstincto. Capta autem sunt Pesti* (quod & ipsum ea clade hosti cessit) *& in castris, insulaq́ꝫ, & in nauigijs, in ripam nondum exposita exactæ pulcritudinis muralia tormenta triginta sex, minora autem, quæ canterijs & curribus imponerentur, centum & quinquaginta. Porrò tormentarij pulueris, pilarumq́ꝫ ferrearum, ac armorum, atque telorum, & parati commeatus in totam hyemem adeò ingenti copia hostis potitus est, vt ea præda multo maxima pars victoriæ Barbarorum æstimatione censeretur.* Quamuis fortaſsè de eo incommodo locutus existimari non ineptè possit, quod sub ipsum habitæ disputationis tempus nobis illatum fuit: Pesto à nostro exercitu frustrà & infeliciter tentato. Neq́ue enim ea, etiamsi felici receptu repressa persequentis hostis insolentia, victi non simus; exigua, aut superiore minor censeri potest, si militare decus amissum consideremus. *Nam qui iudicio prudentiaq́ꝫ valent nihil vel tantæ opulentiæ iacturam superiore calamitate factam, quando sarciri instauraríq́ꝫ mediocri pecunia potest, reputant*

Pag: 13. A.C.1541 Mahum: 947. Iou: lib hist: 39. sub fin.

A.C.1542 Mah:948

Iou. lib. 39 sub fin.

quum verum detrimentum, ac insanabile susceptum vulnus vel tacitis animis agnoscant, quo Germanicæ virtutis ac disciplinæ existimationem, inuiolatam antea Romanis Imperatorib⁹, vna atq; altera ad Exechium & Budam pudenda Christianis omnibus fuga; & hoc tertio ac infelici ad grauem ignominiam conatu, sine vulnere hostium penitus amisissent.

Contigit Exechiana clades A. C. 1537. Mah. 943 Pag: 13.

Nihil tam aduersarium est.] Parua sunt arma foris, nisi sit (consilium dixit Cicero) ego, concordia domi. Tritissimum quidem Sallustii illud, sed vtinam tam benè perpensum, *Concordia res paruas crescere, discordia maximas dilabi.* Absit verò mali euentus omen: sed certè, nisi tandem atrocissimarum dissensionum istarum aliquis modus erit; quin vero

Cic. 2. off.

in Iugurt.

AEterna semper odia mortales agant,
Nec cœpt⁹ vnquã cadat ex animis furor:
Nihil relinquent bella, tum vastis ager
Squalebit aruis, subdita tectis face.
Altus sepultas obruet gentes cinis.

Sen. in Herc. fur.

Verissimè Boëtius. *Omne quod est tam diu manere atq; subsistere, quamdiu sit vnum: sed interire, atq; dissolui pariter, quando vnum esse desierit.* Multò verius autem verum illud veritatis oraculum. *Omne regnum diuisum contra se, desolabitur: & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se, non stabit.*

De consol. Philosoph. lib. 4.

Matth. 12. Luc. 11.

Re

Referre, antequam rationem ipſam] Præclarè ſanè & grauiter. Hæc enim præcipua illa, & potiſſima cauſſa, propter quam necdum Pag. 14.

— *Parca malorum finem adfert: ſed manent*
Conſtanter, & præſentib⁹ accreſcũt alia. Philet. in Cer: apud Stob.

Affecto autem & ægro corpori feliciter vt ſuccurrat; latentis mali cauſſas originemq́ue indagare, &

Ad morbi naturam medicũ quoq́ oportet
Reſpicientẽ mederi, non imperata pharmaca
Exhibendo, niſi morbo conueniant. Eurip: in Belleroph: apud Stob.

Et qui labentes fluminis aquas auertere velit, ipſas primum ſcatebras, fontiſq́ue venas aut obturet, aut aliò deriuet, neceſſum eſt. Nec profectò quicquam aliud conciliando conſanandoq́ue huic tam magno malo erit, ſi non diſcordes Chriſtianorum Principum animi ad mutuam conſenſionem veramq́ue concordiam reducentur. *Diſcordia enim atq́ ſeditio omnia opportuniora facit inſidiantibus*: & ſic Liu. Dec 4. lib. 4.

— *Senſim pars vna ciuitatum poſt aliã*
Ab improbis hominibus euerti ſolet. Apollodor. apud Stob.

Cu-

Pag. 14. *Cuius rationem referendam esse aliquando summo D E O.*] Scitè Seneca. *Optimè Deos exemplum Principibus constituam, vt se tales ciuibus præbeant, quales sibi Deos esse volunt.* Quo igitur vultu, qua fronte tremendo illi iusti Iudicis tribunali se sistent ij, quorum ambitione & inuidia *belligeratum aßiduè, gens cum gente collisa, regnum cum regno, ciuitas cum ciuitate, princeps cum principe, populus cum populo, &, quod Ethnici quoq; fatentur impium, affinis cum affine, cognatus cum cognato, frater cum fratre, filius cum patre, & quod ego sanè puto his omnibus atrocius, Christianus cum Christiano?* Quæ spes superesse poterit ijs, quorum temeritate & impotentia

De Clement. lib. 5. c. 4.

Virgil. lib. 1. Georg.

— *Fas versum, atq; nefas, tot bella per orbem,*
Tã multæ scelerũ facies: non vllus aratro
Dignus honos: squalent abductis arua colonis:
Et curuæ rigidum falces conflantur in ensem,
Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum:
Vicinæ ruptis inter se legibus vrbes
Arma ferunt: sæuit toto Mars impius orbe:

&, vt vno verbo dicam, perditi ij, quos iu-

uare debebant? *Hoc enim, ô boni, vir nullus vel hominum vel Deorum dicere ausit, illum qui iniuriam fecerit, pœnam luere non oportere. Audite ergo Reges, & intelligite, discite iudices finiũ terræ. Præbete aures, vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altißimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neq; secundum voluntatem* DEI *ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durißimum in his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam* DEVS, *nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo,* REGES, *sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excidatis. Qui enim custodierint iustitiam, iustè iudicabuntur; & qui didicerint iusta, inuenient quid respondeant.* *Plato in Euthyph: apud Stob: Sap. 6.*

Vltionem ex priuato odio, omnino in detrimentum ac perniciem totius Christianitatis vergere.] Et certè atrocissimam hanc & immanissimam Turcicæ immanitatis rabiem, hac potissimum nostrorum dissensione, mutuisque odijs nutritam *Pag: 14.*

& auctam, eò vſque inualuiſſe, vt ipſo Reip: Chriſtianæ corpore penè prorſus exeſo, iam etiam ad inteſtina propè cum ſummo diſcrimine graſſetur ac penetret: non ſolum tot prouincijs, regnis, & Imperijs, amplitudine, opulentia, & potentia florentiſſimis, hactenus cum ſumma noſtra ignominia, & irreparabili Reip: Chriſtianæ iactura perditis & amiſſis cognouimus: ſed & ipſa quoque illudentis callidiſſimi hoſtis voce edocti ſumus. Muchemetes. II. Turcorum Sultanus (id quod ad FRIDERICVM. III. ROM: IMP: AVG: Rhodij equites olim perſcripſere,) Vezires ſuos, cũ prolatis, elatiſque Europæorum, & Germanorum præſertim viribus, ab ijs bello petendis eum abſterrere conarentur, *diducta & expanſa manu compeſcuit. Vt enim*, aiebat, *hi digiti mei longitudine nunquam coiuerint: ſic nec horum animi, tantis à ſe odijs, tantisq; factionibus disiuncti*. Quod Tyranni iudicium vtinam eum falſum habuiſſet. Ac ſanè neque etiamnum hodiè Conſtantinopolim, Macedoniam, Peloponneſum, Epirum; Eubœam, aliaſque Ægei maris inſulas; cum vniuerſa præterea Ponti ora, Trapezuntem; Mœſiam etiam vtramque, & Dardaniam, eheu, ſub immane Barbaræ ſeruitutis iugum ab vno illo ipſo Muchemete miſſam, tam impen-

Auent.

sè Græcia Pannoniáque lugerent: nec Italia, Romáque ipſa ita effusè ſibi gratularetur, tam atrocis hoſtis conſilia, futura ſibi pernicioſiſſima, morte tam tempeſtiuè fuiſſe interrupta. Hæc enim, Hydrunte Apuliæ vrbe iam tum ab Achmete Geduce Baſſa ſubacta, non temerè metuebat, ne, quod perpetuò ſomniabat Muchemetes, eædem, quas iam dudum ferre Græcia Romáq; noua adſueuerat, ſibi compedes inijcerentur.

Heu, quantum potuit terra pelagoq; parari, Lucan:
Hoc quem Ciuiles hauſerunt ſanguine dextræ.

Deberent Reges nominum dignitatem & vim tueri] REX, Iſidoro teſte, *à rectè agēdo dict⁹*: is ſcilicet, cui hoc vnicè propoſitū, vt *vita ciuiū opibus firma, copijs locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit*, atque, vt ſummatim dicam, cuius omnes actiones eò directæ, vt ij, quibus præeſt, benè beateque agant. Hunc talem qui nacti ſunt, DEVM *quempiam humanum* ſibi præeſſe, iure gloriantur. Quàm rari Reges ij, qui, *quo nullum ornamentum Principis faſtigio dignius pulcriusq; eſt*, OB CIVES SERVATOS *Coronam meruere*? Quotumquemque Principum *tam pro ſe eſſe, quàm ſupra ſe* ſubdidi experti? Immanes vero inexplebili auaritia, & impotenti libidine dominandi illos ſenſere crebrò: qui

Pag. 14. Lib: 3. de ſum: bono.

Cic: lib: 5. de Rep:

Plat: in Polit:

Sen: 1. de Clement:

Id: Conſ: ad Polyb.

Sall: ad Caes:

non tantum hauriendo *tot miserorum ciuium sanguine satiari nequiuerunt*: sed & priusquam de contentionibus suis remittere quicquam voluerint, ad illa ipsa tam funesta, tā exitialia nobis Turcorū arma, ad perpetuam ac indelebilem & suam, & seculi nostri fœdissimæ ignominiæ notam, scelerato ausu, & exsecrandis consilijs nefariè confugerunt. Horret animus meminisse; & referre pudet scelestam illam impietatem, quo se è Christianis Monarchis non infimus olim detestabili iuramento flagitiosè Turcis mancipasse, à quibusdam perhibetur. Proh æui nostri dedecus! O insatiabilem dominandi libidinem! Verè te *malorum Elementum dixit Timon ille Misanthropus.* Itane vero tibi vt consulas, patriam, bonum, atque honestū deseris: publica prodis, vt seruias priuatis? Heu pernitiosam illam, & ad exitium natam vocem

Praeter alios id etiam refert Iosephus VVereszczynius des: Ep⁹ Kiiouień: Polonus.

Stob:

Eurip:

— Ius regnandi gratia
Violandum

plerorumque mentibus tam altè impressam! Sed heus vos

Horat lib: 1. Epist: 10

Ceruus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Implorauit opes hominis, frenumque recepit.
Sed postquam violens victor discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum reppulit ore.

De-

Deberent in idem incumbere re & facto, qui Euangelium sequi se purè profitentur.] Digna vero tanto Propheta vox illa tua ô Luthere, digna Moyse Germanico, qua, conuiuans olim, ardentem illum in proximi salutem animi tui ardorem egregiè aperuisti, inquiens. Würdt nu der Türck auff Rom ziehen/so sech ichs nicht vngern. ꝛc. Digna etiam tanto patre illa soboles, quæ non tantum omnibus in vicis & compitis, omnibus in conuenticulis, concionibus, & conuiuijs, inter prandendum & cœnandum, surgendum & cubandum; verum etiam illis ipsis in castris contra cōmunem hostem positis merens, eidem, cum visum, Imperarori obtemperans, eadem signa sequens, eodem in periculo constituta, nihilo contra Turcum, quàm contra Papam, commissamque illi gregem; imò etiam contra hos, solenni illo carmine Erhalt vns Herr bey deinem wort/ vnnd stürtz deß Babsts vnd Türcken mordt ꝛc. prius & vehementius boat. Nimirum proximum illud à primo magnoque Euangelij mandato præceptum omnino iubet ac vult, alteros in alteros sic animatos esse, vt perditos & excisos velint, non emendatos? Sed minus mirum est, erga Catholicos sic vos affici, qui tam atrociter, tantis odijs ipsi inter

Pag: 14.

Luthers Tischreden. am 75. cap.

vos digladiamini. Heu, heu, diram istam animorum dissensionem! Heu triste Euangelium, quàm metuimus, ne nimis acerbi ad gustum nostrum tui fructus! Euersa illa Imperatorũ Regia, erutus ille alter Imperij oculus, detruncatum illud orbis caput, inclyta quondam Constantini magni soboles Constantinopolis, immensa & miserabili calamitate sua hunc non temerè nobis terrorem incutit. Etenim quamobrem, putas, illa, & cum ea Græciæ simul totius dignitas, libertas, opes, vires, arces, vrbes, ipsumque adeo Orientis Imperium annis ab hinc 142. sub grauissimum Scythicæ Tyrannidis iugum à Muchemete II. Imperatore Turcico subactum fuit? Qui obsecro tanti mali fons? Quæ caussa? Aduerte quæso mecum tu, quicunque ab vnanimi Catholicæ Ecclesiæ communione te segregasti, aduerte: & Gennadium Scholarium Græcos Schismaticos suos, ad expendendam seriò tantarum miseriarum caussam, summa, qua potest, humilitate & beneuolentia inuitantem audi. Audi illum, qui & stante, & euersa Constantinopoli, ciuis primùm, summos in aula Regia magistratus gerens; inquilinus postea, primus à Christianorum reliquijs in ipsis Ecclesiæ collapsæ ruderibus Patriarcha delectus, egregiæ ex-

Anno nimirũ Christi 1453. 4 Kal: Iunias. A. Mahu: 858.

isti-

iſtimationis, & autoritatis maximæ fama inſigniter claruit. Illum inquam audi, qui & idem tecum de fide ſentientium teſtimonio, Muchemeti ipſi ob virtutem & ſapientiam admirationi tantæ fuit, vt eum ille ſæpè audiret, eius in templum equo deſcendens veniret, ab eoque penè tandem Chriſtianus fieret. Sententiam ipſius ex commentario de Papæ primatu, in tui gratiam, libenter exſcribo. Sic ergo ſectione xv. infit. *In primis ergo (vt inde initium ſumam) in memoriam reuocate fratres & patres, qualiſnam, & quanta exſtiterit noſtra natio. Fuit enim quondam ſapiens, clara, generoſa, prudens, fortis, & quæ omnem terram ſuo ſubiecerit Imperio. Præterea virtutis ſtudio & ſanctitate omnes gentes eſt ſupergreſſa, ieiunijs, vigilijs, orationibus, eleemoſynis, & (vt vno verbo dicam) veluti ſpongia hauſit omnem virtutem,* DEO *ſemper accepta. At in præſentia (proh dolor) omnia interciderunt. Conſtantinopolis capta eſt; cuius rei ſolum recordatione cogor prorumpere in verba cum clamore & eiulatu, & vltimum effundere ſpiritum. Qua vrbe expugnata, aræ ſunt prophanatæ, templum conculcatum, magna ſanguinis effuſio ſecuta, pollutæ moniales, virgines corruptæ, caput infantibus abſciſſum, impiorum manibus principes occiderunt: monachi ſacri, ſacerdotes, præpoſiti, viri, fœminæ, connubia ſunt diuulſa, ſacra vaſa confracta, imagines ornatiſſimæ conculcatæ ſunt, ac ſputis con-*

Mart: Cruſ:[9] in Turcogræc:

spurcatæ. O me miserum atq; infelicem, quis poterit vnquam tantam cladem deplorare, & verbis acerbum casum exprimere? Heu vbi regius apparatus, & comitatus? Vbi ordo Palatij & disciplina? Vbi tot Principum examen? Vbi scholæ sapientiæ? Væ mihi misero, vbi Patriarchalis administratio, vbi ornatus Ecclesiæ? vbi tantus & talis sacrorum monachorum, ac non sacrorum ordo, chorus & numerus? vbi monachorum & monialium ordines? Ecce nonne cuncta sunt à Mahomete absorpta? Nec tantum in ipsa Vrbium Regina ea mala obuenere, verum etiam in subiectis regionibus plura ac deteriora; perq; singulos dies hæc apertis oculis intuemur & intelligimus. Quamobrem ergo hæc? Vel vos mihi dicite per Dominum (Et paulo post) *O meam calamitatem. Nonne reliquum est plorare & lamentari ac disquirere caussam & videre, propter quæ patimur hæc? Ego vero aliam non possum inuenire (neque enim virtute nostra natio cæteris gentibus peior est; imò vero melior, nam dictum est, vereq; dictum, nationem nostram omnes nationes virtute & moribus antecellere) nisi* SCHISMA, ET QVOD SE SVBTRAXERIT AB OBEDIENTIA ET SVBIECTIONE ROMANÆ ECCLESIÆ. *Eam & solam decerno esse caussam interitus nostræ gentis; quia* POSTQVAM AB EA DIVISI SVMVS, MALEDICTIONEM ACCEPIMVS, ET PATIMVR, QVÆ NOS PATIMVR. Audin' vero Germania patria charissi-

ma, Audin'? Audin', quæcunque in Septentrione Regio nouis Euangelij veteris corruptoribus applaudens, à Catholicæ fidei consensu disiuncta es? Aduertisne Gennadium in eruendam mali tanti caussam diligentissimè incumbentem, aliam inuenire non potuisse, nisi SCHISMA, ET QVOD SE SVBTRAXERIT AB OBEDIENTIA ET SVBIECTIONE ROMANÆ ECCLESIÆ? Num perhorrescis hæc verba legens, POSTQVAM AB ECCLESIA ROMANA DIVISI SVMVS, MALEDICTIONEM ACCEPIMVS, ET PATIMVR, QVÆ NOS PATIMVR. *Si dixeris, vt dicere consuêsti, ob nostra delicta hæc euenisse. non ita se res habet, ego dicam*, ait idem Gennadius. *Quoniam non magis nos, quàm cæteræ Christianorum gentes nostris criminibus* DEVM *irritamus. Sunt enim & aliæ nationes magis sceleribus & peccatis obnoxiæ, quomodo non affliguntur vt nostra infelicissima & miseranda natio?* Verum, vt nihil amplius tergiuersari possis, ecce tibi portentis caussam tantæ tragœdiæ clarissimè diuinitus ostensam. NICOLAVS V. Pontifex MAX. euellendam esse radicitus infructuosam arborem, tertio ante anno Græciæ Constantinopolique vaticinans denuntiârat. Verba Pontificis etiam hîc quoque libenter ex Gennadio adscribam, cum ip-

Id. ibid:

ſius tamen & procœmio, & epilogo.

Id: ibid: ſect: 15.

Quid euenit (inquit ille) *noſtra memoria ſub* NICOLAO V. *Pontifice Maximo? Cum legati à Conſtantino Imperatore, qui vocabatur Dragaſes, ad eum mißi adhuc ſuperſint: quibus litteras dedit plenas timoris & horroris: vbi apertè cum exſecratione prophetizat excidium & internecionem extremam infelicium Græcorum: in quibus poſt alia multa (cum conuicia & probra reſciſſet, quæ à Græcis quotidiè impudentißimè iactabantur) mirè & hoc dicit. Omnes gentes decretum, quod ſancitum eſt, receperunt: Græci vero neq; receperunt; neq; ſpes eſt, eos unquam eſſe recepturos; quæ ſuper concordia & vnione decreta ſunt. Procraſtinationes enim procraſtinationibus ab eis ſemper prætexuntur, excuſationes & reſponſiones in ſingulis. Neq; vero Græci arbitrentur Romanum Pontificem ita eſſe mente deſtitutum, omnemq; Occidentalem Eccleſiam, vt non intelligat, quæ in ſingulis dilationibus reſpondendo nugantur. Optimè cuncta nouimus. Sed toleramus in* IESVM *reſpicientes ſempiternum Sacerdotem, & dominum; qui ſterilem illam ficum* VSQVE AD ANNVM TERTIVM *iußit aſſeruari, agricola iam ad excindendam arborem ſe accingente, quia nullum fructum ferebat. O magnam calamitatem! Anno* MCDLI. *hanc conſcripſit epiſtolam, &* MCDLIII. *capta eſt Conſtantinopolis. Num poteſtis dicere hæc vera non eſſe? Minimè gentium, cum id ſit manifeſtum, & res ipſa apertè loquatur.*

Tres inquit annos exſpectabimus, ſi vos fortè à ſchiſmate & ſeparatione conuerteritis, & vos verè decreto adiunxeritis, ſecundum Saluatoris de ficu præceptum. Si vero non, excindemini, ne terram ocioſam & inutilem reddatis. Hoc miraculorum maximum: quòd (vt in epiſtola ſcribit NICOLAVS *Papa) Græcorum gens illa magna & formidabilis, ſapiens, clara, fortis, terrarum Domina, ob diuinam vltionem ita in Barbarorum ſeruitutem abducta ſit.* Et hæc perpendenti tibi, nunquid rem acu tetigiſſe videtur Gennadius? Sed & iſta quoque te precor conſidera, & tum, quid de Gennadij ſententia exiſtimes, effare. Non alia die (ſi quidem dies illa fuit, & non denſiſſima orbi Chriſtiano nox) ter infelix ciuitas in Barbarorum poteſtatem venit, quàm Sacræ Pentecoſtes feſtiuitate. Quamobrem vero hoc? Negabant illi Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere: Non credebant eiuſdem Sanctiſſimi ſpiritus afflatu Sedem Apoſtolicam Latinam dirigi, perpetuoque gubernari: Eiuſdem Sanctiſſimi Spiritus lectiſſima Organa, veteres tam Græcos, quàm Latinos Patres ſuperbè contemnebant. Nunquid ergo par erat, vt ij, ipſa quoque Spiritus Sancti feſta celebritate pœnas, eaſque adeo graues & exitiales penderent? Nun-

quid etiam, nì Gennadij monitis, & aliena calamitate edocta, maturè resipueris, iamiam ingruentem infelicitatem tuã, tanquã è specula prospicis? Intellexit profectò callidissimus ille noster hostis Soleymanes, & probè intellexit, nullam neque Akenziorum copiam, neque Azaporum vim, neque Genizarorum fortitudinem, neque Chazilariorum audaciam, neque Beglerbegorum militarem peritiam, neque Vezirum Bassarum prudentiam, nec ipsam denique domus Othmanicæ felicitatem, rem adeò Turcicam augere, quàm Pseudochristianorum eos, qui suauissimam consentientis Ecclesiæ symphoniam nouis opinionibus disiungunt; vires voluntatesque nostras distrahunt; mutua nos in vulnera concitant, & accendunt. Non immerito igitur Lutherum, quem in Germania res nouas moliri magno suo cum gaudio perceperat, annorũ minus habere desiderauit: vt, quanto eius vita longius protraheretur, tanto plus ille turbarum dare, discordiarum semina facesque diutius spargere, & Germania tota prodita, præmia, quæ Tyrannus illi, procul dubio amplissima, destinarat; promereri nauiter pergeret. Suspecta res foret, si Catholicis, quamuis bonis & fide dignis, autoribus id assererem. Malo igitur eius,

qui Tyranni vocem excepit, popularis ciuiſque mei teſtimonium, excellenti Lutheri Lutheraniq́ue verbi ſummi præconis autoritate roboratum, adferre. Ioannes is eſt Aurifaber, qui à Lutheri, dum viueret; latere vix diſceſſit, qui tantam per eum Euangelij lucem affuſam eſſe Germaniæ ait, quanta non in Germania ſolum, ſed nec vlla omnino in gente ab Apoſtolorum temporibus vnquam fuerit: qui Germanorum ex Ægypto educendorum verum eum Moyſen & Aaronem appellat; verum orbis prophetam deprædicat. Is Sympoſiacorum cap: 75. Turcici Cæſaris de Luthero iudicium, ad immortalis gloriæ ſcilicet perennẽ magni prophetæ famam, in hæc verba refert, — In der vorred in Luthers Tiſchreden.

Ein trefflicher glaubwürdiger Mann/ mit namen Schmältz/ Burger zu Hagenan der in Legation bey dem Türcken geweſen/ ſagte/ das der Türckiſche Keyſer hette gefragt/ Was Luther für ein Mann/ vnnd wie alt er were? Darauff er der Legat jhm geantwortet/ Er were irgendt acht vnd viertzig Jar alt/ ſolte der Türck geſagt haben: ich wolte das er noch iünger were/ Dann er ſolt einen gnedigen Herren an mir wiſſen. ꝛc. — Luthers Tiſchreden in 75. cap: vom Türcken

Reſciuit procul dubio Tyrannus, quemadmodum ſecum bellum gerendum initio ille negârit, quemadmodum à milite,

com-

commeatu, pecuniaq; suppeditanda, Principes, Ciuitatesque nonullas absterruerit, aut certè, de Reip: summa in Comitijs cum ageretur. eos, nisi quæ vellent iniquissima extorsissent, tergiuersari, magnoque cum publici boni exitio cunctari fecerit. Coniectare potuit orbis terræ prædo ille, & verè coniectatus est, tanti (si Dijs placet) Ecclesiæ DEI Reformatoris exemplo excitatum iri similes alios, qui densissimis, nimirum, inuolutum tenebris, & longo situ obsitum DEI verbum, tanta fide & integritate, tanto candore & dexteritate illustratum & perpurgatum, pristinæ tandem claritati puritatique suæ ita restituerent, vt à Mahumetismo Alcoranoque Turcico quã minimè discrepans viam Scythicæ barbariei ad nos compendiariam patefaceret, aditũ subiugandi nos commodissimum sterneret. De Lutheri sequacibus hîc nihil agam. Hoc vnum tamen in memoriam ijs reuocatum velim, vt, quo præmio singularem illam Vrsellensis Typographi industriam remuneraturi sint, maturè secum statuant. Nec enim non illos magnoperè demeruïsse putandus est, qui insigne illud, & amplissimum Magni, in Chio Insula, Cadij Turcici de doctrina sua testimonium, cum summo Lutheranæ existimationis incremento nobiscum,

bifeum, edita Iacobi Palæologi epiſtola lectu (vt ipſe quidem arbitratur) digna, communicauit. Ita vero inter cætera proloquutum eſſe Cadium, Palæologus meminit. *Dicunt te Lutheranum eſſe: nos Lutheranos defendere ſolemus. quoniam melius de* DEO *ſentire videntur, &* NOBISCVM PARVM DISSENTIVNT, *multum autem diſſentiunt Papiſtæ, qui figuras & imagines faciunt* DEO, *& illas colunt.* Illos autem tacere non poſſum, qui fucato verbi Diuini purè puteque abs ſe traditi prætextu, aduerſus proprium Regem ſuum inſurgere, Imperatoris Chriſtiani conſilia omnia contra Turcos ſuſcepta impedire & infringere, Regem Hiſpanum domeſticis exercere & atterere bellis, & planè, vt fines ſuos vndiquaque latiſsimè dilatare Turcus poſsit, ſe non inutiles illi clientes eſſe velle, modò in eius tutelam fidemque admitterentur, ſempiterno Chriſtianorum hoſti recepere. Exſtat non ignobile ſanè Selymi Othmanidæ reſponſum ad perduelles iſtos, *Eos, ſcilicet tam eſſe abiectos, vt ſupremus orbis terræ Imperator negotium ſe indignum putet, & rebelles, & impios fouere. Qui etiam nolit ad tam humilium hominum amicitiam deflecti. Neque tamen certam fidem eorum poſſe cenſeri, qui vel ſuum Regem ipſorum oppugnent. Turcos cum principibus ac Regibus negociari ſolere, at non cum ſubditis, aut ſeruis Regū.*

A:Chriſti 1594.

Nat: Com: hiſt: lib: 19.

At-

Attamen ne quis autoris fidem eleuare meritò poſsit: &, vt quã iſti fidẽ, quæ dogmata profiteantur, quos etiam ſocios & patronos, quemque in finẽ adſciſcere ſibi comparareque ſtudeant & exoptent, eò certius vt conſtet, hanc epiſtolam ſubijcere libuit. Non indignè, ſpero, ferent, quæ ipſi ad vniuerſam rem Chriſtianam impiè prodendam indigniſsimè machinati ſunt: ob ſua commoda; & vt perſpecta facinoris ſui turpitudine, tanto facilius emendare ſe poſsint, hîc proferri. Sic igitur ſe habet epiſtola, ex Italica lingua vtcunque latinè facta.

MAGNIFICO DOMINO BARTHOLOMÆO DE RODOLPHIS, PATRITIO VENETO,

ALOISIVS CVCCHIVS. S.

SI non redditæ ſunt Ambaſſatoris noſtri litteræ ſuperiores, vehementer equidem doleo, cum omnibus qui ſunt in hac ciuitate Excellentiſsimæ & Illuſtriſsimæ Signoriæ Venetæ amantes. Grande enim periculum eſt, quod ſupremus Baſſa eas vel hîc, vel in itinere intercipi curauerit: vt profectò omnium hominum, qui viuunt, eſt aſtutiſsimus. Si itaq; ad manus eius peruenerunt, non dubitetis, quod bellum da-

bit Signoriæ Illustrißimæ, propter insulam Cyprum. Super cuius rei compositione Ambassator noster mandati sui defectum aliquem caussatus est, negocium videlicet studiosè trahens, donec Signoria Illustrißima, & de Principum Christianorum voluntate, & suis etiam viribus proprijs certiorata esset penitus. Nunc vero si proximas Ambassatoris litteras habet Bassa, artem illam intelliget, nec vllam ei postea fidem habebit, etiamsi centum adfirmet iuramentis, aut centum adferat noua Signoriæ Illustrißimæ mandata. Talis enim vir est Bassa, qui statim intelligat, an ex corde & veritate agant homines: an mandata obseruent, & id illi solummodo dicant, quod à Dominis suis iußi sunt. Quod si quem fucatè agere, aut aliud quidpiam quærere intellexerit, quàm quod ad dominorum caussam spectet, eum vti bestiam postea auersatur, indignum iudicans, quem sub aspectum suum amplius admittat. Cuius præclarum hîc vidimus exemplum in Oratore Christianißimi Regis Francorum, Monsieur Guilielmo de gran Rye, siue de gran Ciampo. Qui quamdiu Regis sui negocium fideliter egit, satis honorifico fuit apud supremū Bassam loco, & omnia tum illi communicata sunt, quæ cum Oratore Romanorum Imperatoris de pacis confirmatione tractarentur. Quam etiam confirmationem in gratiam istius Ambassatoris Galli, qui eam vehementer impediebat, aliquandiu studiosè distulit. Verum vbi Bassa intellexisset Am-

bassatorem pacem istam cum Romano Imperatore, non propter Regem Galliæ, sed multo magis propter eius hostes, subditos rebelles impugnare, suspectus illi esse cœpit, nec posthac in tanta eum habuit familiaritate: imò, cum Ambassator necdum etiam desisteret Hugenottos suos Bassæ commendare, vt illi in pacis capitulationem reciperentur, cum indignatione quæsiuit Bassa, qui nam essent isti Hugenotti, quam haberent religionem, & cuius subessent Imperio, cum aliquam orbis gentem hoc nomine nemo cognouisset antea. Tum Ambassator scriptum illi porrexit, quasi non publicè, sed priuatim potius Bassam informare cuperet. Sed illud in multorum manus, Bassa ita iubente, & hominis Galli leuitatem ridente, peruenit. In quo scripto non negat Ambassator Hugenottos Regis Galliarum subesse Imperio, sed rebellare huic PROPTER RELIGIONEM TALEM, QVÆ SIT TVRCICÆ PROXIMA, *nisi quod in Ieiunijs & Eleemosinis Hugenotti non ita sint certis obseruationibus astricti, sed* LIBERRIMI PER OMNIA, ET AGERE ET CREDERE QVÆ LVBEAT. *Subiunxit aliqua deinde argumenta ad persuadendum Bassæ, quod Hugenotti, si in Turcorum Imperatoris tutelam reciperentur, vtilissimi essent futuri suæ Maiestatis socij, propter multas caussas. Quia non solum Regem suum vexare possent, ne affinem suum, Regem Hispaniarum, contra Turcos siue consilio, siue mi-*

lite iuuaret, sed etiam per aliquot potentes in Alemannia principes; qui Hugenottorum rebus manifestè fauerent & auxiliarentur, ipsum Romanorum Imperatorem impedire, in omnibus suis consiliis, quæ contra Turcos susciperet. Imò si Hugenotti iam tumultus istos per Gallias non excitassent, actum fuisse Turcis de toto maris mediterranei Imperio. Quoniam Regina mater cogitauerat iam Regi Hispaniarum tradere omnia loca munita, omnes portus, & Ciuitates maritimas in Gallia, & ipsa vicißim filio suo in recompensam accipere Flandriam. Qua facta permutatione Hispani mari dominarentur, Turcosq; omnes eiicerent: Reges autem cum Papæ, Imperatoris Romani, & Principum Catholicorum auxiliis, post deletos Hugenottos, & illorum confæderatos Lutheranos, arma conuersuros in Turcos omnino, non obstante etiam pacificatione ista noua, quam Romanus Imperator saltem in Hugenottorum & Lutheranorum inuidiam iniret, vt eos hac ratione à Turcica societate excluderet. Sed & Turcorum Imperatori vtilè futurum, si Hugenotti eius amici & confœderati haberentur, quod propter illos pacem istam, quæ iam esset confirmanda, quandocunque vellet, turbare honestè posset: sed & ipsi Hugenotti paratißimi essent futuri, turbas & seditiones in Alemannia procurandi, quando id Turcis commodum videretur. Hæc & multa alia Ambassatoris puncta Bassa planè ridet & contemnit: ipsi autem Am-

bassatori responsum dedit per interpretem. Videre se, quod bonus Rex Galliæ non legatum, sed proditorem ad aulam Turcarum Imperatoris miserit, Hugenottos autem longè inferiores esse, quàm vt sese demittat ad illorum amicitiam supremus orbis Princeps, nec fidem haberi debere istis socijs, qui proprium etiam Regem proderent & impugnarent: Turcos solitos esse, cum Imperatoribus, Regibus, & magnis Principibus agere, non cum perfidis seruis, & rebellibus subditis: detestari Turcicam fortitudinem ista proditoria consilia. Quod si verò vtile videatur Turcorum Imperatori Hugenottos sibi subijcere, non defutura illi arma, si clara esse posit de victis proditoribus, & rebellibus seruis, victoria. Hæc palam iam dicuntur & circumferuntur per totam Constantinopolim, cum magna superbia Turcorum, & contemtu Gallicæ leuitatis. Quæ certe res non incommoda esset secretissimis Signoriæ nostræ consilijs: si non interueniret tam importuna huius temporis iniuria. Cogitet tamen Mag: Vestra, si in bonum aliquod deduci posint ista pro Illustrissima Signoria. Nobis quidem hoc certum est, Gallos per hunc suum Ambassatorem nihil effecturos, quæ Illustrissimæ Signoriæ noceant vlla ratione, nam totus destitutus est omni gratia & autoritate, nisi fortè manifestè transeat ad religionem Mahumeticam, quod de eo multis hîc verisimile videtur. Bassa & Begi ad noua munera ex Venetijs valdè sunt attenti, & in maiori precio habent argentea pocula & cantharos, quàm an-

tea, cum nullum vinum biberent. Magnificentiæ vestræ me commendo, manus eiusdem exosculans humiliter. Datæ Constantinopoli. 6. die Aprilis. Anni 1568.

Hem verò verè nobilem, & tanto noui Apostolatus munere dignissimum, perpurgandæ senij vitio sordidatæ Ecclesiæ feruorem: hem viam Christianæ fidei longissimè propagandæ planissimam. Infelices maiores nostros, qui solo dilatandæ religionis suæ zelo tantis animis & odijs, tantis sumtibus & copijs, tantis terra marique spacijs emensis, sibi Turcos opprimendos & expugnandos desumsere: cum splendidissima hac veri Euangelij luce perfusi, cum ijs, vtpote nihil aut parum à se discrepantibus, coire, firmaque jungere fœdera facilimè potuissent.

O Maxima Deorum — *Menand. in Carine apud Stob:*
Hoc temporis Impudentia ———
Quantum progrederis? Quousque peruentura mihi videris?

Vel hunc autem eundem Bassam Legationis suæ arbitrum, vel non eam, qua pollet, dignitatem nacta esset egregia illa Christianæ fidei propugnatrix Angliæ Regina: & fortè (siquidem vera sunt, quæ vulgati per Germaniam & Imperium libelli de ea testantur) Turcicis armis sequestra pace fe-

riantibus, modò quietius parum, tutiusque ageremus. Itane vero per ambitionem & inuidiam adtrahi in viſcera noſtra ſæuum & iuratum hoſtem! Quaſi vero Germania, (quod Devs omen auertat) reliquisque regionibus expugnatis, illam vnam ſit Turcus paſſurus in Inſula ſua liberè dominari. Mentita nempè eſt omnis antiquitas; falſi ipſimet Annales Turcici, qui *Othmanidas neminem veteri natum familia ſuo in Imperio tolerare poſſe*, liberrimè aſſerunt. Tu vero, qui perniciosas Sirenarum iſtarum voces obturatis auribus feliciter eludis, pie cœtus, *Viriliter age, & confortare, Noli timere.* Viuit Magnus ille noſter Devs, cuius iuſto iudicio, *Facienti nequiſsimum conſilium ſuper ipſum deuoluetur.*

c. 219.

Deut: c. 31.

Eccleſiaſtici, c. 27.

Compedes, quas ipſe fecit, ipſus vt geſtet faber.

Auſon.

Plutar: de Curios.

Enimuero impiam ſuam *peruerſitatē magnum propriæ infelicitatis artificem* fuiſſe, omnes ij ſenſere, qui, non modo tutos & incolumes, ſed & auctos quoque locupletatosque ſe fore arbitrati, in Othmanicis opibus ſibi conſtituere præſidium. Exemplis id, inde à prima Turcorum origine, ad hos vſque noſtri temporis progreſſus, ex hiſtoriarum monumentis planum facere facilè foret. E quibus non infimum locum ſibi vendicarent Palæologorum, Comnenorumque Principum, longa Conſtantino-

politanorum, Trapezuntiorumque Imperatorum serie æquè, ac miserando calamitosoque suo interitu, clarissimæ familiæ; quos, præ cæteris, non longo interuallo consectarentur Seruiæ Despotæ Bulcovitzij. Sed pauca, eaque illustriora ærumnosi sæculi nostri, vtpote à recenti memoria fide plena, produxisse sufficiat.

I. LVDOVICVS SFORTIA, is, qui ab oris fuscedine MAVRVS audiuit, qui & temporis prærogatiua, & infelicitatis suæ magnitudine reliquos facilè anteit, infausti agminis ductor mihi sit. *Is longa gubernandi consuetudine allectus, Mediolanensis Imperij sceptra, amoto Ioanne Galeacio fratris filio, solus obtinere semper affectauit. Vt ergo aduersus omnem Ferdinandi & Alphonsi Aragoniorum, Neapolis Regum, iniuriam sese muniret, qui, postquam vt Genero suo paternum Imperium restitueretur, apud induratum ea libidine Ludouici animum legationibus nihil impetrabant, de inferendo bello agitare cœperant; bellicosam atque infensam Italico nomini Gallorum gentem in Italiam euocandam existimauit.* *Iou: lib: hist: 1.* Qua demum (Ludouico XII. Rege, & Republica Veneta fœdere inito contra se coniurantibus) cum tota belli mole in se conuersa, cum in extremo rerum suarum periculo, *de Imperio Mediolanensi per conditiones annui tributi cum Gallo componere, deprecarique iniuriam à* *Id: ibid:*

A. C. 1499 Mah: 905 *Venetis conatus, frustrà omnia tentasset; ad Baiasitem Turcorum Imperatorem confugit: per legatos, quorsum hæ coniurationes tenderent, demonstrat, atque auxilium petit: & tum muneribus ei, tum varijs rationibus persuadet, vt bellũ Venetis inferret. Quippe futurum aiebat, vt occupatis Italico bello Venetis, ipse nullo negocio Grecis vrbibus, & castris, & insulis eos exueret. Ac fuit profecto noxium Venetis id facinus, sed tandem hæc in ipsum, quod dici solet, cusa faba iusto* DEI *iudicio fuit.* Ita namque sordibus è pulcerrimo Italiæ venustissimæ mulieris vestitu suo peniculo extergendis, omnem in seipsum oculosque suos puluerem conuerrit Æthiops ille, vt omni lectionis scriptionisque solatio prorsus erepto *Ambitionis & iniuriarum multiplicium erga Ioannem Galeacium fratris filium, & funestorum patriæ consiliorum, quibus Gallos aduersus Neapolitanos Reges,* TVRCOS ADVERSVS VENETOS *commouit, acerbas deniq; pœnas luerit.*

Io: Leõcl. Pandect: c. 175.

Nota sunt Sfortiæ Emblemata ex Leoncl: d. loco: Notus itẽ miserrimus in carceribus Gallicis obitus.

II. Nec ipsi quoque ARAGONII NEAPOLIS REGES ad vires Turcicas impunè confugisse, credi possunt: etiamsi extremo amittendi Regni sui discrimini quicquam opis aliunde exspectare non potuerint. *Camillus Pandonius ab Alphonso Rege ad Baiasitem Turcorum Imperatorem destinatus, qui doceret, quales quantiq; Gallorum apparatus, qui eius gentis animi, quæ decreta Regis ad inuadendam Macedoniam essent:*

Iou. hist: lib 1.

essent: hortareturq; Barbarum Regem ad transmittenda auxilia, quando vna ea ratione, & tum, & in posterum Macedoniam ac Epirum omni periculo esset liberaturus, Quod si Calabriæ & Apuliæ orā, quæ procul dubio Græciæ & Constantinopolitani Imperij munimenta forent, occupari à validißimo communi hoste pateretur, ipsum serò aduersus victores Gallos, qui continuò in Græciam essent traiecturi, consilia atq; opes suas oppositurum. Postulauit idem sena millia peditum & equitum, quæ ipse, dum hostis in Italia foret, liberali stipendio esset aliturus. Sed, nullum vnquam bonam fortunā habuisse, iniustum exsistentem, ex Euripidis sententia ipsi quoque comprobârunt. Nam Alphonsum patrem exstinctum, Ferdinandus filius, in medio ætatis flore, ipsoque partæ victoriæ ac recepti Regni limite, non longo interuallo sequutus, Regnum Friderico patruo, & ipsi quoque breui Gallicis & Hispanis armis inde expellendo, & Aragoniorum Neapolis Regum vltimo futuro reliquit.

III. Magis etiam sibi quod gratularetur, haberet, puto, Respublica Veneta, si pari pietate (nisi Iouius alucinetur: nā sexcentos Turcos ex ijs, qui Carinthiam atrociter vastârant, in auxilium sibi Venetos adsciuisse contra Germanos, quos tunc rebus suis infestos habebant, Vapouij fragmenta narrant) porrò quoque vsa fuisset, qua, cum

A.C.1508 Mab:914. à MAXIMILIANO. I. IMP: & LVDOVICO XII. Gallorum Rege acerrimè premeretur, Turcorum auxilia, amicè studioséque sibi oblata, vt admitterentur, nequaquam è Rep. esse censuit. *Fuere enim qui crederent, eos Himeralem Othmanicæ classis præfectum amicè atq; opportunè monuisse, vt Ambracio sinu quamprimum educta classe, Ionio mari excederet, ne ab Aurianis triremibus, quæ apparatu celeritateq; præstarent, dum parum salubri in statione moram inutilem trahit, deprahensus opprimeretur. Audierat enim Andreas Auria, Summus* CAROLI V. *maris Præfectus, Himeralem in Ambracio sinu aliquandiu desedisse cum septuaginta triremibus, imperitè & nequaquam militariter instructis; sic vt eum nullo prope negocio oppressurus fuisse crederetur. Nec obscura fama ferebatur, eodem planè tempore admonitum fuisse Soleymanem* (qui innumerabilibus copijs à Byzantio in Pannoniam venerat, cum CAROLO CÆSARE de totius ferè terrarum orbis Imperio collata acie diminicaturus) *ne vniuerso prælio decertaret: quoniam copiæ Cæsaris, & numero, & animis, & disciplina insuperabiles viderentur.* Immensa certè & inexpiabili vtrobique Christianæ rei cum iniuria. *Himerale enim tum in fugam acto, atq; eo, si persecuti forent, facilè deleto, quæ reliqua vnquam Soleymani classis superfuisset? Quinam Byzantij Cæsarianæ Venetaq; classium impetum (si*

Iou: lib: hist: 31.

A.C.1532 Mab. 938.

con-

consociare vires, & publicos hostes vnà persequi voluissent) tulissent: nisi tyrones prætorianos, aut eunuchos ad custodiã fœminarũ domi relictos, mœnia egrgiè defensuros credamus? Quũ in Pannonia procul ageret Soleymanes, & Græci ex ipsa vetere libertatis ac Imperij sui memoria, vt rebellare ex tuto possent, non quidem accessum Christianæ classis, sed vix ipsam tantùm aduentus famam erectis animis exspectarent. Soleymane vero (cuius spes penè certa erat) profligato, omni Othmanidarum potentia euersa, dimidius in prædam cessurus terrarum orbis planè credebatur. Quod si igitur aliena felicitate offensos Turcis id officij præstitisse, non malè memorant historici: quid mirum si *inimicum amicum beneficio inuenerint suo*? Soleymanes enim paucis annis post, *leuissimis de caussis bello aduersus eos decreto, Corcyra Insula, sedecim millibus hominum omnis sexus & ætatis inde in seruitutem abductis; latè vastata, & deformata crudelibus incendijs: Creta, & Insulis Cycladibus miserè afflictis ac direptis: Negociatoribus Venetis non modo Byzantij, sed tota quoq; AEgypto captis, & in cathenis seruatis, bonisq; eorum & preciosis mercimonijs in fiscum relatis, ob idq; priuatis opibus, quibus publicæ steterant, deserta nauigatione concidentibus; eò breui eos redegit, vt damnosa atq; turpissima duarum vrbium, quæ reliquæ ex omnibus in Peloponneso Venetis parebant, Nauplij & Epidauri concessione;*

Plaut: in Trinum.

A. scilicet C. 1537. Mah: 943.

Iou: lib: hist: 36. & 39.

qui-

quibus etiam duo Dalmatiæ castella, Nadinum, atq; Labrana accesserunt, ab infido immaniq; Barbaro pacem redimerent,

Arat: *Eiusmodi scilicet amoris ac beneuolentiæ Tyrannorum sunt præmia.*

IV. FRANCISCO I. & HENRICO II. Gallorum Regibus, VALESIA Gens, numerosa Regiæ indolis, summæque virtutis Principum sobole florentissima, ad vltimos vsque nepotes se porrectura; nec Gallis saltem, sed & alijs quoque nationib⁹ suffectura Reges sperabatur. Verum ille è tribus filijs, duos, omnibus corporis atque animi quæ conferri à natura possent, muneribus, totius Galliæ iuuenum ornatissimos, viuens extulit. Hic, non multis post patrem annis, infelici & luctuoso casu rebus humanis exemtus, tres ordine filios Regni successores habuit: cum quartum Regijs fascibus inuida fata præmaturè subtraxissent; è Regibus vero vltimum, nobilissima quoque familia simul exstincta, cruenta cæde peremissent. Grauissimas Galliæ clades, & immanissimas calamitates, quas, tot jam annis ab extrerno pariter & domestico hoste continenter afflicta, tales experitur

Menand: in Heröe. *Quas præ immanitate nemo facilè crediderit,*

lubens prætereo. Neque vero mali tanti caussas anxiè perquirere necessum est, cum, *ad quàm nefanda, quamq; Reip. perniciosa consilia dirus ille stimulus æmulationis* FRANCISCI I. & HENRICI. II. optimorũ alioqui, & ab excellenti virtute sua tanto splendore dignissimorũ *Regũ animos, cũ indebili ad omnem memoriam posteritatis infamia sua, perpulerit*, vulgo etiam constet. Immensas illas quas Corcyra, Cretaque & Cycladibus insulis ferro flammaque horrendè vastatis ac direptis Venetæ Reipublicæ illatas paulò ante dixi Turcorum iniuria clades: & Salentinorum quoque in Italia regionem, Castro oppido capto, ac perfidè direpto, delectæ ætatis incolis ad classem deductis, & magno omnis generis hominum, maiore pecoris numero toto Salentino littore ab equitibus Turcis intercepto, æque miserè depopulatam, plerique Francisco Regi præcipuè acceptam ferunt. *Eo enim tempore, quo Soleymanes Turcus ab ijs, qui nimia Cæsaris felicitate offendebantur, vehementer incitatus, bellum aduersus nostros coquebat, Ioannes Forestius ipsius ad Portam Othmanicam legatus ostendebat, Cæsarem, qui vnus tanquam præcipuus hostis odiosissimè petebatur, nequaquam tanta habiturum præsidia, vt tueri Apuliæ oram* (quam tum maximè Barbari inuadendã censebant) *vno tempore, & Gallis in Subalpina resistere posse considerет,*

Leoncl: Pand: c. 223.

Iou: Lib hist: 36.

sideret, quandoquidem Rex ipse cum magnis copijs in Italiam ipsa eadem æstate descendere statuisset. Interfecto Rincone suo ad Soleymanem legato (quem, quòd inuidiosissimæ legationis munere suscepto, aduersus Christianum nomen Barbaros concitare, occasionesque gerendi belli indicatis Cæsaris consilijs demonstrare diceretur, Hispani in itinere interceptũ, iure, vt existimabant, interfecerunt) *Franciscus Antonium Polinum, qui institutæ legationis munere fungeretur, ad eundem misit. Petebatis ante omnia, vt classis Chairadino Barbarussa duce, ad oram Prouinciæ, excipienda Gallicis portubus, futura æstate mitteretur, Ad ea Soleymanes paucis admodum verbis respondens, pollicitus est, se primo vere duplo maiorem, quàm peteret clàßem* AMICO FRATRIQVE SVO REGI *aduersus Carolũ communem hostem, sine dubitatione transmissurum.* Nec promissis fides defuit. Nam classe centum & decem triremium, biremium vero circiter quadraginta, quas prædones adduxerant, egregiè instructa, Barbarussa sic in Prouinciam primũ appulit, Byzantiumque deinde ita reuersus est, vt hostilibus Siciliæ, Italiæ, Hispaniæque, quas vel vniuersa classe sua legerat, vel prædonibus missis depopulatus fuerat, littoribus funestissimam aduentus sui memoriam reliquerit: cum toto eo itinere plurimæ Christiani no-

Id: hist: lib: 40.

Id: lib: hist 41.

Anni nimirũ Christi 1543. Mah: 949

Iou. lib. hist: 43. 44. & 45

mi-

minis Insulæ exhaustæ, plurimæ vrbes euersæ & deletæ, gentes plurimæ nihil tale meritæ, parentesque tantùm Imperio Cæsaris, inuidiosa detestabilis & impiæ cladis nota Gallo Regi iniusta, ab immanibus Barbaris aut peremtæ, aut in miserrimam seruitutem abductæ sint. *Tantam autem omnis generis* (præter amplissima spolia alia)*mortaliũ prædã, qui in classe erant, fuisse retulerunt,* (*cũ soli Liparitæ comprahensi septem milliũ humanorum capitum summam impleuerint*) *vt in toto cursu ad Byzantium directæ nauigationis, plura captiuorum enectæ fame, siti, mœroreq́ corpora, vti erant in infimis carinis inter naturæ sordes angustissimè constipata, omnibus propè horis in mare proijcerentur.* Ioa: lib: hist: 45. HENRICVS. II. cum videret CAROLVM. V. CÆS: (qui cum illi bellum erat) rebus Italicis ad omne gen⁹ bellorũ non mediocriter adiuuari, vires eius varijs bellorum molestijs vno & eodem tempore distrahendas, eumque pluribus & diuersis è partibus inuadendum ratus, *pacem cum Soleymane Turcorum Imperatore componit per legationes: qua confirmata Soleymanes adpromittit liberaliter Gallo omne auxiliorum genus, aduersus Cæsarem communem vtriusq́ hostem. Vt vero vires Italæ in defensione Oræ Italicæ occuparentur, classem Othmanicam, ad littora magnæ Græciæ, ad mare Tyrrhenum, ad vniuersam propè oram maritimam*

Anno C. 1552. Mah: 958.

Nat. Com: hist. lib. 5.

Ita-

Italiæ infestandam Henricus impetrat: qua re efficiebatur, vt incredibilibus sumtibus alendarum copiarum in multis locis maritimis, Cæsaris exinaniretur ærariũ, & vires distraherentur in multas partes, fierentq́ propterea debiliores. Volebat quidem de societate hac Turcica, tanquam ipsi fieret iniuria, apud quosdam Germaniæ Principes, qui captiui Chattorum Principis ergò contra Cæsarem insurrexerant, sese Gallꝰ purgare. Sed Cæsar CAROLVS ipse Principibus intercessoribus, per FERDINANDVM fratrem, ad oratoris Gallici litteras respondit, si ita res postulet, in medium adduci posse ac demonstrari commentarios Oratoris Gallici Aremontij, memoriæ caussa Constantinopoli scriptos, & per centurionem quendam Costum, ad Regem missos: adduci quoque posse ac exhiberi Turcici per Vngariam præfecti litteras ad confœderatos hoc tempore principes aliosque datas, verum interceptas: ex ijs autem liquidò videri, superioris anni cladis, quam Turcica classis dedit, ipsum autorem, & vt idem hoc anno fieret, impulsorem fuisse, quodque non plus damni datum sit, vehementer ei dolore. Mirum ne igitur eorum, qui Reip: tam perniciosi fuere, exstinctam progeniem? Mirum ne, terram ijs subditam, Principum suorum scelera luisse?

V. Vel

V. Vel vnicus autem IOANNES DE ZAPOLIA, COMES CEPISIENSIS, Vngariæ pestis, instar omnium esse possit, qui, quàm præclaros bonæ protectionis huius & patrocinij Turcici fructus exspectare debeant, qui ipsius amicitiam fidemque sectantur, abundè satis suo exemplo doceret. Is Ludouici Vngariæ Bohemiæq; Regis, post pugnam ad Mohatziũ oppidum, cũ Turcis infeliciter pugnatam, in sesquipalmis aquæ lutulento gurgite suffocati; morte non obscurè lætatus, aspirare cœpit ad Pannonici Regni fastigium: propterea que *ante prœlium de industria tardius ad Ludouicum copias auxiliares ducens, Regem cum suis in extremum illud discrimen coniecisse creditur, vt ambitu nefario peruenire, genuinus, scilicet Vngarus ad Regnum posset.* Sed à FERDINANDO AVSTRIACO, præclara hæreditatis iura proferente, breui eiectus, *ab vno tantum Soleymane maturam opem afflictis & perditis rebus sperandam censuit: ita, vt nõ multò post, legato Byzantium misso, si ipso miserante subleuanteq; restitutus foret, ex tanto beneficio se clientem* (vel mancipium potius: ita enim ipsa Turcorum verba sonant, quæ Soleymanis Imperio eum se submisisse dicunt) *factum, ex autoritate Othmanici nominis regnaturum profiteretur.* Quod consilium vt in caussa Christiana non obscurè nefarium, sic & ipsi postea

A. C. 1526 *Mah:* 932:

Leoncl. Pand. c. 223.

Iou: Lib: hist: 28.

Annal. Turc: c. 223.

minimè ſalutare, patriæ vero præcipuè exitiale calamitoſumq́ue fuit. Neq́ue enim promeruiſſe quicquam aliud tanta fide, tantisq́ue officijs, quoad viueret, Soleymani præſtitis, cenſeri iure poteſt, quàm vt patria in longè maximum & horribile diſcrimen iſtud, in quo iam conſtitutam cernimus, adducta, filius eius, cum matre tam Turcis addicta, per ſummam perfidiam inde eijceretur: Budæ pariter & Vngariæ reliquæ, veluti in prouinciam redactæ, Beglerbegus præficeretur. *Vt nimis veram ſe vatem experta fuerit Iſabella vidua, cum* FERDINANDO REGI, ex tabulis nouiſſimi fœderis inter ſe & Ioannem initi, Buda, regnoq́ue ipſa vt decederet, per legatos petenti, *reſpondiſſet, Vrbem Budam non ſuam eſſe, ſed Sultani Othmanidæ*: fruſtrà paulo poſt Tyranni perfidiam cum lacrymis & gemitu deteſtatura. IOANNES SIGISMVNDVS *quoq́ ambitioſi patris & Reipublicæ noxij filius, Arianæ ſectæ patronus, quæ Mahumetanæ fores aperit, ſine liberis, in ipſo ætatis flore, iuſto* DEI *iudicio rebus humanis exemtus, veriſſimum eſſe vetus illud oraculum, euentu comprobauit, quod ait,*

Fauſta piorum poſteritas, infauſta ſceleſtûm.

Et nunc (ò Chriſtiane) quid tibi vis in via AEgyp-

Leoncl: d. c. 223.

Annal: Turc: c. 250.

Leoncl: d. c. 223.

A. C. 1571. Mah: 978 ætat. ſuæ 31.

Ierem: 2.

ti vt bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis?

Cogitent commune periculum, & futuram calamitatem aliquando in ipsos redundaturam.] Sed plerisque omnino à longè accedere Turcus videtur, qui nihil sentiunt, nisi viuum perstringat. Cautiores duo illi præpotentes Orientis Reges, Magnus Chitainorum Tatarorum Chan, & Persarum Scachus. Ii enim A. C. 1586. *nouum inter se fœdus pepigere, quo mutuis se subsidijs aduersus Othmanidas ferendis obligarunt. Nam quòd Tatarus oppresso Persa, proximum se fore potentiæ Turcicæ videret, cui plurimum ex ruina tanti Regis virium esset accessurum: quàm fieri maturrimè posset, obuiam eundem crescenti malo censebat. Itaq; maioris etiam coniunctionis caussa, contractum fuit inter liberos vtriusq; matrimonium, Tatari Chanis filia Scachi Persici filio nuptui data. Simul etiam stipulatus est Tatarus, ad vsum Persæ, hominum se 20000. proprio ære tam diu contra Turcos in armis habiturum: donec bello finis, ex voto Persici Regis, impositus esset.* Et nos interim, qui multo, quàm ille, à periculo propius absumus, tam illustri alienæ prudentiæ exemplo nihilo circumspectiores facti, aliorum è terra securi spectabimus naufragium? Hungaria penè omni subacta, Germaniæ nostræ iam

Pag: 15.

Suppl: Annal: Turc:

imminet, eamque viribus extremis opprimere parat immanissimus hostis: & tam paucos adhuc reperiri, qui tam immensi vicinæ gentis periculi commiseratione tangantur? Superestne vero quicquam spei, qua se ab insatiabili perfidi Tyranni cupiditate tutos fore, subacta (quod absit) Germania credant ij, qui, quòd à sensu tantorũ malorum longius parũ absunt, in portu sibi nauigare videntur? Sed vero, tũ facilius debellatum iri abs se credunt Othmanidas, si, præter amplissimas tot gentium & regnorum, orientisque propè totius copias, ingentia quoque Germanorum robora, à iustissimo denegatæ opis odio, infestissimis contra se animis alacriter praditura, traxerint? Meliora Devs! Sed si firmissimam hanc Europæ partem Germaniam, inualescentibus Barbarorum viribus amitti contingeret: nihil sanè prorsus restaret aliud, quàm, vt vel crudelissimæ Tyrannidis onus volenti animo lubentes subiremus reliqui: vel occidentis possessione deserta, nouum in orbem, nec illic quidem à Turcica ambitione quietius acturi; maturata fuga elaberemur. Appositè Menander

apud Stob:

Si iniuriarum autorem vlcisceretur
Vnusquisq; nostrûm, & vna propugnaret
AEquè, ac si propria sibi esset facta

Iniuria: & ciues vehementi ſtudio mutuam iungerent operam,
Non amplius nobis calamitas inciperet
Improborum hominum: ſed obſeruati,
Et meritam pœnam luentes,
Vel admodum eſſent rari, vel prorſus deſinerent.

Immortali igitur ad omnem poſterorum memoriam, ſui nominis cum celebritate, longè vberrimos veræ pietatis & gloriæ fructus generosè decerpſit, nobiliſsima Hunnicæ ſtirpis ſanguine clariſsimus heros SIGISMVNDVS BATTORIVS SOMLIANVS, Trãſyluaniæ Princeps Illuſtriſsimus: qui tractis in partes vtriusque Valachiæ Principibus, & excuſſo Scythicæ immanitatis iugo, ditionibusque ſuis in præſens diſcrimen adductis; Chriſtiani Principis munere, veræ fidei dogmatibus Cum AVGVSTO IMPERATORE NOSTRO piè propugnandis laudabiliter defungi, quàm opima pace domi fruens, ad exitium reliquæ Chriſtianitatis, Barbaris hoſtibus conniuere maluit.

Qui ſanè, quantum ditionum ſibi ſubiecerit.] Ipſis certè Tyrannidis inauſpicatæ principijs fortiſſima illa, & quæ maioribus ſuis in expugnabilia fuerãt, Chriſtiani nominis propugnacula, Belgradum, verè Pag: 15. A.C. 1521. Mah: 927

A. C. 1522. Mah: 928.

Pannoniæ gradum, & Rhodum Insulam contra omnem Saracenorum Turcorumque vim, ducentis & quatuordecim annis à Rhodijs Equitibus fortissimè defensam, & quæ sola propè cum immenso rerum nostrarum commodo, quietam Asiæ possessionem Turcis interturbârat, maxima nostra cum ignominia Soleymanes, nouus princeps, subegit: vt, quid Imperio temporis successu confirmato, sperare de ipso deberemus, initio statim, velut ex vnguibus leonem, æstimaremus. Quam etiam opinionem de se conceptam, irritam fieri passus non est: cum præter expugnationem Belgradi, & funestas aliquot Bassarum suorum irruptiones, vel solam Hungariam sexies ipsemet, intra quadraginta annos, ingentibus copijs inuaserit, & quod maiores ipsius, á CC. annis, maximis conatibus efficere nequiuerunt, nobilis Regni fundamenta solus ipse penè prorsus subuerterit. Viennam vrbem, & Meliten Insulam, acerrimè oppugnatas; Tripolim Rhodijs equitibus, Hispano Regi Menyngem ereptam; & complures alias, in varias orbis partes, rarò frustrà susceptas expeditiones omnes, sciens prætereo.

Ab A. scilicet C 1526. vsque ad A 1566.

Grassabitur hoc malum quousque per-

uadat.] Explodendus ſanè foret, quicunque vicinitatem Turcicam innoxiam ſibi futuram crederet. Cyprus Inſula non ita pridem à Selime II. occupata, & excitatum difficile iſtud à Murate bellum Vngaricum, ſi non contrarij fidem faceret: perſuaderent ſaltem tot eidem, cum Turcis, Mahumeteæ ſuperſtitioni dediti Principes, ab ijs Regnis & ditionib⁹ ſuis exuti, & internecione deleti. Sic inter cæteros, Iſphendiares begi Sinopes Caſtamonæq́; Principes; Sic Caramaniæ quoq́; Reges paulatim ſublati, regiones ſuas Othmanidis ceſſere: Sic æuo noſtro præpotens Ægypti Syriæq́; Imperiũ, Tommambai vltimo Sultano ſuſpendio fœdè necato, à Selime I. ſubactum: Sic Alimbego Dulgadiris Rege cum liberis, Soleymanis iuſſu, à Ferhate Baſſa innocenter deleto, beglerbegatu nouo Turcicæ vires auctæ ſunt: vltimæ cædis huius cauſſam, in infinitam Othmanidarum dominandi libidinem, ipſis Turcorum annalibus rotundè quidem referentibus. Et hic ipſe, qui iam Tyrannidi præeſt Murates III. Muchemetem KeraiChanem, ſiue Keraiorum Tatarorum Regem, ad Oſmanem Baſſam in Perſide agentem, ſubſidij ferendi ſpecie, procul *ad remotas illas regiones ablegare conatus fuit: vt interim, dum abeſſet domo, Regnum eius, quod eti-*

A.C. 1517 Mah: 923.

A.C. 1522 Mah: 928.

c. 219.

A.C. 1583 Mah. 999

Suppl: Annal: Turc.

am cæteroqui Sultani Muratis contineretur Imperio, in formam beglerbegatus redigeretur. Soleymanes quidem, hanc Othmanidis insitam Regnorum sitim religionis vllo respectu non restingui, publicè profiteri non erubuit: cum ad exprimendam animi sui lætitiam, quam ex deuicta Menynge, siue Gerbensi Insula perceperat, pecuniam imprimi iussisset, in qua Turcicis characteribus scribebatur, NON QVÆRO RELIGIONEM ARMIS, SED IMPERIVM. Neque id mirum: quippe, *quibus lege sua Mahumetana permissum est, vt in rebus ad Imperium spectantibus, ex vsu suo fidem datam flocci faciant, nec vllam promissorum Christianis factorum rationem habeant.*

Nat: Com: hist: lib. 13

Pand: Leoncl: c. 175

Pag: 16.

Apud Ethnicos priuatas offensiones crebrò salutis Reip: caussa sapienter condonatas.] Est præ cæteris celebratissimum finiendarum Reip: gratia simultatum Liuij Salinatoris, in Romanorum monumentis exemplum. *Is namq; etsi Neronis odio ardens in exilium profectus fuerat, testimonio eius præcipuè afflictus; tamen postquam eum inde reuocatum, ciues collegam illi in consulatu dederunt, & ingenij sui, quod erat acerrimum, & iniuriæ, quam grauißimam acceperat, obliuisci sibi imperauit: Ne si dißidente animo consortionem Imperij vsurpare voluisset, pertinacem se exhibendo inimicum, malum*

Val: Max: lib: 4. c 2. Liu: lib: 27.

Consulem ageret: Quæ quidem mentis ad tranquilliorem habitum inclinatio, in aspero ac difficili temporum articulo plurimum salutis Vrbi, atq; Italiæ attulit: quia pari virtutis impetu connisi, terribiles Pœnicas vires contuderunt. Æquè illustre est apud Græcos Aristidis factum. Fuit is Themistocli valdè aduersus, cum tamen vnam in legationem missi essent, & ad portam vrbis venissent, Visne ô Themistocles, inquit, inimicitias hîc paullisper deponamus, recepturi eas, cum redierimus. Sciebat scilicet, rem communem sine communione animorum nunquam rectè administrari. Vt meritò nostri pudere nos debeat, quibus vt pacem aduersus communem & nostrũ, & DEI nostri hostem cöeamus, nec ipse quoq́ue, qui feras etiam animantes inter se conciliat, præsentissimi periculi metus, satis validus & efficax est. *Plutarch: in Arist:*

Et nuper Ratisponæ.] Quantoperè fortissimus iste pientisśimusq; IMPERATOR CAROLVS. V. & alibi, & isto præsertim, de quo autor loquitur, Ratisponensi Ordinum Imperij conuentu, præsens ipse adlaborauerit, vt diffidentia, quæ inter disśidentes Religionis diuersitate status necessariò oboriebatur, quoad eius fieri posset eliminata, iunctis pariter & animis & armis Barbari hostis conatibus vnanimiter obui- *Pag: 18. Anno scilicet C. 1541.*

am

am iretur: cognoſcere licet ex actis, quæ Receſsibus, vt vocant, Imperij inſerta ſunt. Sanè cũ ab aduerſo primi conatus exitu gemens frendensq; Soleymanes, cum ingenti *quinquaginta myriadum exercitu* Viennæ denuò grauius immineret: non dubitauit ingruenti Barbaro proprium corpus obijcere. Qua fortitudine ſua tantum etiam effecit, vt, qui vniuerſum propè terrarum orbem eius ſuſcepti belli fama commouerat ſuperbus hoſtis, vndique repulſus & cæſus, & *ſæpè reſpectans, an* CÆSAR *in tergo eſſet,* turpiter profugerit. Vtraque vero Africana expeditione, cuius Tarnouius meminit, quantum Reip: iuuandæ cauſſa diſcriminum ſubierit, nemo certè eſt, qui ignorare poſsit. Priore Tunetana quidem, vt intolerabiles ardentiſsimi ſolis æſtus, & infeſti maris pericula maxima taceam; quàm ingentis animi, quàm ſuorum amantis fuit, in ipſo ingruentium hoſtilium copiarum, *quarum centum millium numerus eſſe ferebatur*; & volitantes inter currulium tormentorum globos, militibus ſuis vt animus adderetur; tamdiu hæſiſſe: donec Vaſtij imperantis, quem eo die exercitus ducem eſſe voluit; hortatu, ad mediam aciem abſcedere iuberetur? Poſteriore vero Algeriana, procul dubio immanium piratarum vltor, Hiſpa-

Id: eſt 500000. *Iou: hiſt. lib.* 30. *A. C.* 1532. *Mab:* 938.

Iou: ibid.

A C. 1535. *Mab:* 941

Iou: hiſt: lib: 34.

A. C. 1541. *Mab:* 947

nicis

nicis ſuis prouincijs, tanto alacrius deinde & expeditius Vngariæ Germaniæque ſubuenturis, opimam pacem peperiſſet: ſed Æterno Numini ob peccata noſtra viſum aliter, quod & tum, hauſta fluctib⁹ claſſe; & aliàs, inteſtinorum bellorum motibus, optimi Imperatoris vim ab atrociſsimi hoſtis euerſione cohibere voluit.

Forſan DEVS *ſeruat Imperatori hanc laudem.*] Faxit Clementiſsimus Deus, in cuius manu corda Regum, ipſa regna, & victoriæ ſunt omnes, vt Sereniſsima AVSTRIACORVM familia, quæ, quod nulli agnationi vnquam contigit, à quo primas in rebus mortalium moderandis Imperatoris Maieſtas tenere cœpit, Imperatores decē numerat, & iā annis CXCIII. DEI nutu & ope Romano præfuit Imperio, illudque ab ALBERTI IVNIORIS temporibus, adhæc noſtra, per annos. CLVI. feliciter continuauit, vt inquam hæc familia, RODOLPHI II. INVICTISSIMI IMPERATORIS NOSTRI felicibus auſpicijs, Othmanicam domum, ipſa crudelitate crudeliorum, funditus euertat & exſtinguat, grauiſsimumque barbaricæ ſeruitutis iugum, ſub quo plurima Chriſtianorum millia toto orbe ſparſa gemunt, planè tollat; referatque laudem Pag: 19.

illam

illam, quàm à præpotenti DEO illi, bonisque omnibus, qui labori huic dextras admouent, seruari, benè ominamur. Tam pio voto, o æterne DEVS, qui potes, annue.

Pag: 19. *Vt Venetis contigit bis, nec non Vladislao Hungariæ & Poloniæ Regi.*] Quod de Venetis hîc asserit Tarnouius, accidisse tum arbitror, cum Eubœam Muchemetes II. & pòst filius eius Baiasites Naupactum, Methonen, Coronenque ijs eriperent. Vladislaum vero quî desertum quæritur? *Vt meminerant* (inquit de eo, & eius proceribus Vngaris, Callimachus) *obligatam ab se fidem Græcis Latinisq́: sic ab vtrisq́ implorata auxilia præsto esse audiebant. Summus etiam Pontifex, cæteriq́, qui paulò ante obsidendi Hellesponti vltrò negocium curamq́ susceperant* (Venetos intelligit, & Philippum Burgundiæ Ducem) *fidei suæ, temporisq́ à Vladislao admoniti, nihil dißimulantes congregata instructaq́ ad Caietam septuaginta triremium classe, iusserunt illicò Franciscum Albertum Cardinalem Florentinum nauigare in Hellespontum, obseßisq́ illic littoribus opportunis, obsistere, ne quid subsidiorum à Turco ex Asia posset accersiri. Ioannes quoq́ Palæologus Constantinopolis Imperator per litteras significabat, in armis se esse cum suis, vt Regi sub ipsum montium descensum, vel occurreret, vel alibi exspectaret, si id magis ex vsu fore videretur.* Ne-

lib. de reb: à Vlad: gest: 3.

que vero arbitror, propterea ipſum deſertum dici, quòd Helleſponti anguſtijs malè cuſtoditis, Aſiaticæ Turcorum vires in Europam traiectæ fuerint. Caſum iſtum, etſi quidem non ſperârit, prouidere tamen multò antea potuit Rex, qui cum cæteris ei tam diligenter obuiam eundem putauit. Nec ea re nuntiata territum Regē conſtat, qui, cum quod multi ex ſuis hortabantur, regredi, aut ſaltem in tuto alicubi ſubſiſtere facilè potuiſſet, nihilominus tamen contra hoſtem animosè perrexit. Cuius cum copijs quoque, collata acie tam fortiter, & tanto cum impetu concurrit, vt *hoſtium vtrūq; cornu in fugam propelleret, atq; hoc in conflictu Beglerbegus Anatoliæ cæderetur: ſolus adhuc Murates cum agmine ſuo ſtaret immotus, cæteris ab vtroq; latere proſtratis, aut fuga dilapſis.* Aliam igitur tanti & tam inſperati infortunij cauſſam eſſe: aliud quidpiam & vitam Vladiſlao, & victoriam iam penè partam, eripuiſſe oportet. Rem ab aliquibus hiſtoricis Chriſtianis prodi, non temerè ſilentio prætereundam, in hiſtoriæ Turcicæ Pandecte ſuo narrat tam genere, quàm excellenti ingenio & doctrina nobilis, Ioannes Leonclauius: quam inſero. *Commemorant, inquit, poſcente Murate certum aliquod à Vladiſlao Rege, pacis inuiolabiliter obſeruandæ documentum, profa-*

Sed alibi traieciſſe Turcos, eorū Annales narrant c. 112.

Annal: Turc: c. 115.

c 116.

no quorundam consilio traditam ei fuisse hostiam, ecclesiastico ritu consecratam : ne scilicet vllo modo de fide voluntateq; Regis, accepto tam augusto pignore, dubitaret. Postea vero perturbatis inducijs, quum ad arma deducta res esset, ac prælio Varnensi cæsis in vtroq; cornu Murataeis, in extremo res Turcorum discrimine versarentur: Muratem è sinu prolata Christianorum hostia, & erectis ad Cœlum oculis, in huiusmodi quædam prorupisse verba: Christe, si DEVS *es, vt Christiani tui de te perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui te mihi dedere pignori, nihiloq; minus adeo religiosè sancitam pacem per summum scelus violarunt. Quibus in hunc modum ab ipso prolatis, ea scilicet euenerint, quæ tam à nostris, quàm ab hostibus recitantur.* Nimirum, *mox aleam prælij mutatam : Regem immodica ferocientis animi temeritate impulsum, in medios Turcos equum adegisse, quo ad terram prolapso, regi humi prostrato caput amputatum sit.* Ab hac impietate nefaria remotum bonumRegem, vt facilè crediderim:(Callimachi nempé persuasus autoritate, qui, non vt traderetur, sed *vt prolata in medium sacra Eucharistia* in pacis fœdera *à Rege iuraretur*, petitum à Turcis, idque frustrà; & (*Regis animum, à tam improbo facto haud omnino abhorrentem, auocante Gregorio Sanoceo*) tactis vtrinque, hincEuangelio, illinc Alcorano, iuratum esse, disertè asserit,) quo pacto tamen à fœda ista illum igno-

Annal: Turc: c. 117.

d. lib: 3.

mi-

minia excuſabo, quòd pace, confœderatis ſuis inſcijs, cum communi hoſte inita, non tantum præclariſsimam, opprimendæ penitus Barbaræ gentis opportunitatem, ſociorum ſpe latè fruſtrata, turpiter corruperit: *ſed & illos etiam, quos ipſe pellexerat, & præcipuè Græcum Imperatorem (qui cum tentaretur à Turco de fœdere, non ſolum repudiarat conditionem, verum etiam, ſpe belli maiori conatu à Vladiſlao, vti pollicitus erat, renouandi, hoſtilia vltrò intulerat) per ſummum ſcelus, in diſcrimine, & quaſi ſub cultro, prædæ reliquerit.* Præter hanc fœditatem, cum etiam in tranſitu montis Hemi, non tantum Meſsitas Turcorum auidè deprædati eſſent, ſed & ipſa quoque Chriſtianorum templa ſacrilegé diripuiſſent: concitato aduerſus ſe diuino numine, meritò, quas pertulere calamitates, ſibi ipſis imputare poterunt. *Callim: d. lib: 3.* *Bonfin: d. loco.*

Nunquam patuit Chriſtianis facilior aditus] LEONE X. SACRORVM PRINCIPE, & MAXIMILIANO. I. ROMANORVM IMPERATORE, ſæpè deliberatum eſt, quo potiſsimum modo facilius ſuperari, debellarique Turcus poſsit: terriſne hoſtilibus oppugnandis, an propugnandis noſtris? Et re vtrinque benè perpenſa, viſum eſt, id commodiſsimè futurum, ſi ad hoſtium ſepes (vt noſtrate fertur pro- *Pag: 19.*

uerbio) equi noſtri alligarentur. Validaigitur expeditione, eaque ad vires hoſtis diſtrahendas, diuerſis itineribus & copijs ſuſcepta; inuicta quidē Germanorum, Vngarorum, Bohemorum, Polonorumque robora, victrices Imperatoris aquilas ſequentia, ſecundo Danubio in hoſticum inuadere: Hiſpaniarum Regem, iunctis ſecum Luſitanis, Siculis, & Neapolitanis viribus, in Epirum & Peloponeſum tendere: Gallum ampliſsimi regni ſui copijs, è Prouincia Africæ imminere: Maritimis denique copijs Venetos, Anglos, Genuates, & qui re nauali præſtant, reliquos, expugnatis, quas vocant, Helleſponti Dardanellis, Conſtantinopolim ipſam petere debere; prudenter quidem, ſed inefficaciter, quibus id negocij datum fuit, ſuaſere. Nam præterquam, quod tot Principum, nationum, gentium, ac populorum; habitu, lingua, moribus & ſtudijs diuerſiſsimorum voluntates, & odia conciliare, olim & nunc extremæ difficultatis fuerit: accedit hoc etiam æuo noſtro incommodi, vt quos, ſuperioribus ſeculis, in Syriam vſq; perquirere, ipſiſque in luſtris & mapalibus ſuis, veluti feras indagine clauſas, conficere ſolebamus: ij non magno dierum locorumque interuallo remoti, ad patriæ fines nobis in-

ſulta-

ſultare, exercitus, vireſque noſtras contemnere, & pari noſtro cum periculo & ignominia, compedes exitiumque nobis minari vndique videantur. Vt iam non amplius quærendo, ſed remouendo hoſti, neceſſariò nobis arma ſumenda ſint. Neque ſic tamen, nobis quod metuamus, erit: ſi communi gentis noſtræ conſenſu, truculento hoſti reſtiterimus: futuri inexpugnabiles, is ſi perſiſtat, & augeſcat: & id quoque ex hoſtis vicinitate lucrifacturi, vt ſi illicò cum eo (quod à Deo ſummè exorandum eſſet) confligendum ſit, fatigatis ipſius, & longa immenſi itineris moleſtia eneruatis copijs, validum à recentibus viribus, ad certam victoriæ ſpem, exercitus noſtri robur obiecturi; ſin vero circumfuſo, vt ſolet, equitatu, ſpem prælij latè fruſtraturus ſit; omnem, quæ ſola ſæpè maximos exercitus noſtros peſſundedit, commeatus inopiam, è diuite vicinarum regionum penu, facilè ſubleuaturi ſimus.

Difficile enim poſt hac eijci poſſet] Et hoc in more poſitum eſſe Othmanidis, calidiſſimis Tyrannis, vt ditione vel munitione aliqua ſubacta, tamdiu conquieſcant, pactiſque inducijs, eouſque firmiter ſtent, dum eam ita communiant, vt Herculi cla-

uam citius, quod in prouerbio eſt, quàm iſtam ijs eripias, infinitis malis edocti cum ſimus, vixdum tamen expergiſcimur. Non poſſum intermittere, quin parem, quæ nobis iamdiu familiaris eſt, è N. & CL. V. Ioannnis Leonclauij Pandectæ, Græcorum oſcitantiam commemorem. *Erat* (inquit ille) *in naui noſtra* (qua ſcilicet Illuſtris, & Generoſus Dominus, Henricus Baro de Lichtenſtein &c. RODOLPHI. II. IMP: ad Portam Othmanicam Legatus, cum comitatu ſuo vehebatur) *ſenex multarum rerum peritus, Antonius Melienſis, Græco patre natus, in Melo Inſula, conductus à Nauarcho, vt index itineris interdiu noctuq; nobis eſſet. Is mihi, quum Callipoli relicta, iam 22. milliaribus emenſis, Chiridocaſtrum* (primum id eſt Europæ oppidum, à Turcis, qui cum Soleymane Baſſa, Othmanis, infauſtæ familiæ conditoris nepote, 70. circiter, aut octoginta tantùm, Helleſpontum ex Aſia, in Europam traiecerant, ſubactum) *præternauigaremus, & ruinoſi caſtri nomen ſignificabat, & hiſtoriam, non friuolis de cauſſis obſeruandam, commemorabat. Quo, inquit, tempore Turci primum haſce freti Helleſpontici tranſierunt anguſtias, vt Aſia potiti, Europæ regiones inuaderent, hoc ipſo caſtro, quod vides, in poteſtatem redacto, primum in Europa pedem fixerunt. Eius rei nuntio, ſumma celeritate, Conſtantinopolim perla-*

Anno C. 1584. Mah: 991.

to: tanta Græcorum, maiorum, nostrorum arrogantia, tanta securitas fuit: vt minimè cogitarent de castro mox recuperando, & eijciendis prius ex Europa Turcis, quam maiores in ea vires adquisiuissent, altiusq́; suas egissent radices: sed accepti damni grauitatem verbis eleuando, dicerent, esse dumtaxat amissum stabulum porcorum. Ludebant enim, vt Nazianzeni nostri verbis vtar, in rebus minimè ludicris: ridebant in rebus minimè ridiculis, sed deplorandis potius: dum ex Chiridocastro per iocum, stabulum porcorum faciebant. Græcis enim Chiridia dicũtur porci. Sed risus iste tandem in amaras conuersus fuit lacrumas. Audiamus maiorem nunc, ex eiusdem Antonij narratione, Græcorum insaniam. Venit inde non magno temporis interiecto spacio, Turcorum in potestatem & Calliupolis: vt in his annalibus quoque recitatur. Græcis interim altum dormientibus, nec de rationibus occurrendi conatibus hostium, vel tantillum sollicitis. Quid fit? Huius etiam detrimenti accepti nuncius Constantinopolim venit. Tum magis vt Græcos dementes cerneres, amissam illi Calliupolim floccifacere, iacturam publicam, reapse magnam, verbis secordiæ plenis extenuare, non nisi amphoram vini à Turcis ereptam sibi dicere. Sed eos Turci paucis annis in Thracia fecere progressus, vt huius Soleymanus bassæ, qui Calliupolim tunc eis eripuit, fratris filius Baiasites, occupatis etiam suburbanis agris, Constantinopolim pluribus annis obsideret: quam quidem omnino redacturus erat in potestatem,

nî Tatari Temiris interueniſſet expeditio, Baiaſiti fatalis: qua proſperrimi Turcorum ſucceſſus aliquandiu, diuino conſilio, fuerunt inhibiti, ne ante tempus à DEO *deſtinatum, Imperij Græci reliquias deuorarent. Hæc narratio, licet in hiſtorijs Græcis non exſtet, dignam tamen cenſui, quæ memoriæ proderetur: vt ex ea noſtri homines exemplum capiant, nobis quod ex vſu ſit. Vtinam ne nos etiam modò tam altum, veterno Græcorum correpti, ſterteremus, vix vt expergiſci poßimus: dum non Chiridocaſtra, porcorumue ſtabula, ſed hactenus inuicta Chriſtianorum propugnacula: non Calliupoles, aut amphoras vini, ſed Pannonias, ſed Cypros, integra regna ſcilicet, amittimus. Sed reprimo me. Nam plura vetat dolor, & ominis infauſti metus.* Hactenus Leonclauius.

Pag: 21. *Quodſi barbarus ad inducias aliquas ſe demittet.*] Quid enim vel hæ, vel fœdera Turcica ſunt aliud, quàm inuolutum pacis nomine bellum: erupturum continuò, vbi primùm ſpes aliqua commodi barbaris affulſerit. Fruſtrà eſſet id exemplis, quorum plena ſunt omnia ſcriptorum monumenta; velle docere: cum eius nos abundè commonefacere poſſit vel ſola ſæ-
C. 1591. ua iſta, quæ eodem planè anno, quo pactis cum hoſte inducijs ab omni iniuria vel maximè tuti videbamur, ingruere cœpit,

exi-

exitialis belli tempeſtas. Accurrite igitur vos, quicunque malefidæ & inſidioſæ pacis vinculis conſtringimini, accurrite: & ruptis ijs, tam violentas procellas, qua poteſtis, auertite: aut, ſi vicina quæque latius euaſtari ſocordia veſtra permiſeritis: vos quoque fœderum

Deinde meſſem iſtorũ infelicem metite. Eurip: in Ino.

Nulla fides fœderibus illis, in quibus non eſt mutua: &, ſi qua hucusque fuit, prior tamen hoſtis eam fregit, prior vos prouocauit. Nam ſi exiguam eam, imò nec veſtram eſſe putatis iniuriam, quæ eadem veræ fidei profeſſione fratribus veſtris infertur; illam tamen, qua nulla atrociore, nulla intolerabiliore vnquam affici poteſtis, non agnoſcere certè non debetis: Veri DEI ſcilicet nefariam impugnationem, cultus diuini, & communis religionis ſceleſtam oppreſſionem. Sed quid multis? *Iſtud bellum eſt iuſtum, quod neceſſarium eſt: iſta arma ſunt pia, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes:* & ea *pax eſt repudianda, ſub cuius nomine bellum latet.* Liu: lib: 9. Dec. 1. Cic: Phil: 3

Quin collocata in Deum fiducia.] Bonis, DEI ſubſidium & opem in procinctu eſſe, multæ & glorioſæ fortiſſimorum, & patritæ religionis ſtudioſiſſimorum Machabæorum teſtantur victoriæ. Quoties enim Pag: 21.

illi, diuino muniti præsidio, instructissimas ac penè innumerabiles ferocissimarum gentium copias, exiguo admodum militum, & quidem inermium numero, mirante toto orbe, & hostibus stupentibus, profligauere? Quoties etiã maiorũ nostrorum ætate, ingentes Mahumetanorum exercitus, à Regum nostrorum viribus, paucitate contemnendis, Dei ope inuictis, ad internecionem deleti?

Nil desperandum Christo *duce, & auspice* Christo.

Pag: 21. *Quin semper innixus hac vel illa, inter Principes Christianos discordia.*] Asiam primis Turcorum irruptionibus apertam ab Europæ discordia, nec ipsi dissimulant. Quo tempore, inquiunt, *Zingis Chan Parthiam ageret, ferret: etiam Machana funditus euersa fuit, quæ id temporis Imperio Soleymanis Scachi* (qui Othmanis, à quo Othmanidæ, auus fuit) *parebat. Is Tatari violentiæ cedens, & ipse cum suis migrauit, inito consilio inuadendæ Romaniæ:* (non Europæam Græciam: sed Romanorum, quod nomen Græci vsurpabant, prouincias Asiaticas hîc accipies) *quòd audîsset, ijs in locis* Bella geri, & armis rem parari posse. Eandem hanc nostrorũ dissensionem ijs Thraciam

Annal: Turc: c. 5.

in Europa primum, reliquas deinde, quas in ea occupant, regiones omnes patefeciſſe, vel æui noſtri experimentum docuit. Nos ergo, quàm ſecunda iam nobis ominabimur,

——— *Poſtquam diſcordia tetra*
Belli ferratos poſtes, portasq́ꝫ refregit?

Noſtra paßim vulgari, antequam ad rem veniatur, non leuis error eſt.] Omninò *Taciturnitas optimum ac tutißimum rerum adminiſtrandarum vinculum*: & in bellis præcipuè, *nulla conſilia meliora ſunt, quàm illa, quæ ignorauerit aduerſarius, antequam facias.* Admirabile, & Othmanicis rebus procul dubio vtiliſſimũ, fuit Mechemetis, VezirisBaſſæ, ſilentium, obitum Soleymanis, qui infelicem animam in caſtris Zigetanis exhalârat, ſummo aſtu & vafritie tantiſper occultantis, donec ex Aſia filius eius Selimes euocatus, Imperium citra tumultum occupaſſet. Qui ſi maturius emanâſſet, peroptatam ſanè (quod multis de cauſſis veriſimilè fit) rei benè gerendæ, imo fortè Othmanicæ familiæ penitus delendæ, occaſionem præbuiſſet. Adeò *Vacat periclô præmium ſilentij.* Perſis id non incognitum fuit, *apud quos* SILENTII NVMEN *quoq́, olim cultum*: nec Romanis: quorum *Curia, in tanto Senatorum*

Horat: Sat:4 lib. 1. Pag: 24.

Vax: Max: lib. 2. c. 2. Veget: lib: 3. c. 26.

Nat: Com: hiſt. lib:17 Suppl: Annal: Turc:

Plutar: in apophț: Ammian: lib. 21. Val: Max: lib: 2. c. 2.

nume-

numero, silentij salubritate munita, & vallata vndiq; sic fuit: vt non dicam vnum, sed neminem audiuisse crederes, quod tam multorum auribus commissum fuerat. Planè ergo, qui feliciter agendis rebus præesse cupis, *quid fieri debeat, tractato cum multis: quid vero facturus sis, cum paucißimis ac fidelißimis; vel potius ipse tecum*: semper existimans, neminem facilè eum, qui, *quod scit, nesciat.* Cautè Turcus. Qui bellum alicui illaturus, *secretô diploma scribi & consignari iubet. Datur id eius expeditionis Duci. Iubetur id non prius resignare quàm ad iussum locum accesserit. Sic nemo est consiliorum secretorum particeps, ac nec ipsi quidem consultores eius consilij.*

Veget: lib: 3. c. 26.

Terent:

Nat: Com: lib. hist: 15

Pag: 24.

Vix vllam impensam in exploratores faciunt.] Cum tamen, vt in re maximi momenti, nullis parcere sumtibus Exercitus Duces deberent. Vel *unum quandoq; hostium consilium opportunè ac maturè cognitum, potest uniuersum negocium ad optatum finem perducere, aut vniuersas copias ex aliquo imminente periculo seruare.* MAXIMILIANVS II. CÆSAR, *ad Bregetium cum 80000. armatorum confidens, si mortem Soleymanis tempestiuè resciuisset, facilè poterat gloriosam, & omnibus seculis maximè memorabilem, Pannonia in perpetuum à Turcis liberata, victoriam consequi.*

Nat: Com: hist: lib: 11.

Id: lib: 17.

Pag: 25.

Quo sæpè impellit.] *Antè igitur, quam in-*

choëtur bellum, solers debet esse tractatus, vt pabula, frumentum, ceteraq; annonariæ species, quæ militi nostro conueniant, *maturius exigantur: & amplior semper modus, quàm sufficit, aggregetur. Annona enim in necessitate remedium non habet, nisi ante condatur.* Is autem, *qui necessarium commeatum non præparat: vincitur sine ferro.* Veget: lib: 3. c. 3. Id: ibid: c. 26. Pag: 25.

Principiò, vt belli neruus talis congregetur.] Magnus verò vobis, o Ciues, de Rep: præclarè merendi campus apertus. Periclitantem eam, modicis quique sumtibus, vt subleuetis, necessitas imperat. Bellū ei grauissimum illatū, *non armis maximè, sed expensis & sumtib⁹, per quos efficacia arma & vtilia fiunt*, propellendū. Parete ergo necessitati, vt *incolumi Rep: res quoq; vestræ priuatæ seruentur*: armis vim suam benigna & liberali manu addite, vt eorum *defensione, secura vobis sit reliquarum diuitiarum possessio*. Immane porrò, quantopere se decipiant ij, si qui sunt, qui minutissimis istis, quas conferunt, sumtibus irritati, minore cum onere Barbaro seruituros, minoribusque impensis tributa annua sub ipso se redemturos arbitrātur. Longè aliter se rem habere, quicunque vel modicè res Turcicas perspectas habet, vel sequentia perleget, facilè deprǣhēdet. *Turco enim, vbi is prouinciam aliquam cœpit, omnia prouincialium bo-* Thuc: lib: Liu: lib: 6. Dec: 3. Veget: lib: 7. c. 1. Barth: Georgieuitz de Turcarum morib:

 na

Ios: VVeresz. in excitatoria. sua.

na tam mobilia, quàm immobilia, in prædam cedunt. Quartas deinde omnium fructuum suorum subacti dant, non solum ex prouentibus agrorum & pecorũ, sed etiã ex mechanico quæstu. Accedit aliud onus, quo singuli, quotquot in vna familia sunt, singulos ducatos soluunt: si qui id soluere nequeunt, liberos suos, si habeant, in seruitutem vendere; aut cathenis vincti, ostiatim tantum emendicare compelluntur, &, si nec sic soluendo fiant, perpetuis carceribus mancipantur. Et cum hæc omnia annuè præstiterint, summa tamen, si quid ex eorum suppellectile Turco alicui arriserit, discrimina subire coguntur, nisi promtè annuant. Rerum hæc pericula: Corporis vero, Animæque multò atrociora. *Nobilitatem primò omnem stirpitus exscindit, illustriorem præsertim. Tum quouis lustro, vltra 60000. puerorum ex omnibus Christianorum liberis selectißimorum, è parentum gremio abripit, Mahumetano ritu initiatos, magistris committit: ad omnia militiæ munera instructos, tandem contra nos educit; vt meritò, quicunq; à Tyranno crudeli superantur, bis victos se dicant, qui suis armis victi sint.* Nec fœmellarum conditio melior. *Namq; certis annorum spacijs, perniciosißimi speculatores, ceu quædam odora canum vis, per Regna discurrunt omnia, rimantur, excutiunt, contemplantur, & quas honestioris forma repererint virgunculas, ad fœdißimum corporis ludibrium abreptas, in perennem huius futuræq; vitæ calamitatem abripiunt. Hanc vt euitent*

indig-

indignitatem miseræ matres, filiarum, si quam ijs natura largita est, pulcritudinem corrumpere eas; & *ducto per nares*, (quod apud nos vrsis fieri videmus) *circulo ferreo, venustatem earum deformare*; asserit in sua excitatoria ad bellum Turcicum (prout eam Nobilis, & studiorum necessitudine mihi tam Friburgi Brisgoiæ, quàm Wirtzburgi coniunctissimus Marcus à Lantau, è Polonico mihi interpretabatur) Iosephus VVereszczynius, des. Episcopus Kijouiensis, Polonus. *Templa præterea omnia prophanata, suo Mahumeti Turci consecrant. Misera & humilima sacella tantum Christianis relinquunt, quæ si vel temporis vitio, vel casu corruerint, restaurare, nisi magna pecuniæ vi depensa, non est licitum. Et, qui iniuriarum omnium cumulus est, contumeliæ omnes quantæcunque ferendæ. Quod si parum indignius contra loquaris, (de religione ipsorum præsertim,) inuitus circumcidêre.*

Nationes earundem sint voluntatum] Pag: 25. *Nulla enim, quamuis minima natio*, (par de exercitu ratio) *potest ab aduersarijs perdeleri, nisi proprijs simultatibus seipsa consumserit. Nam ciuile odium ad inimicorum perniciem præceps est, ad vtilitatem suæ defensionis incautum.* Veg: lib: 3. c. 10.

Ne indies in socios prædas exerceant.] Pag: 26. lib: 7. de bel: Gall: *Non minus in milite modestiam & continentiam, quàm virtutem atque animi magnitudinem desidera-*

uit Imperatorum ille maximus & fortissimus Iulius Cæsar. *Necessario quidem è bello multa oriuntur molestia:* & Verè apud nos vulgo, Nullum militem vel suo ipsius patri tolerabilem. *Eos autem, qui sola spe prædæ, latrocinij, ac diripiendarum alienarum facultatum in castra conueniunt, militum loco habendos esse, quis censuerit?* Non sanè fuit ex istorum numero Eques ille non tā antiquissima, in inferiore Alsatia, nobilitate, quàm militari peritia, & generosi animi dotibus clarissimus, SEBASTIANVS à FLECKENSTEIN. Huic in eo conflictu, quo, cum Soleymanes ex Austria turpiter profugeret, relicta prædonum ingens & numerosa manus, vna cum Duce suo Casane Michalogli, ad internecionem delata fuit; *inter dimicandum, Turcus quidam sacculum nummis plenum, velati redemtionis precium, cum obiecisset: is hunc, tanquam victoriæ remoram, indignabundus reiecit: ad Ditem vestrum hinc abite, inquiens, diuitiæ: non enim hîc aurum, diuitias, aut alia huiusmodi irritamenta malorum quærimus, sed virtutis præmium potius, honorem, & gloriam militarem.* Eximiam, mehercle, te SEBASTIANE, Fleckensteiniæ familiæ gloriam, rarum patriæ ornamentum: dignissimum te, qui cum Curijs, Fabricijs, & cæteris, priscæ ætatis heroibus compareris. Tu vero, qui in ipsis quandoque cadeue-

Eurip: in Herc: fur.

Nat: Com. lib. hist. 13

Melch. Soiterus lib. 1. de bel: Pannon:

rum

rum viſceribus, proh dedecus! aurum crudeliter rimaris, auare miles; tu quoque nequior iſto, qui merita ſtipendia militi fœdiſſimo peculatu ſæpè nefariè ſurripis, Tribune, quam à gloria iſta longè abeſtis?

Præſtandam curet ſeueritate.] *Aſpero & abſciſſo caſtigationis genere militaris diſciplina indiget, quia vires armis conſtant, quæ vbi à recto tenore deſciuerunt, oppreſſura ſunt, niſi opprimantur.* Et omnibus quidem in rebus, præcipuè verò in bellis, *maxima peccandi illecebra eſt impunitatis ſpes.* Non negârim tamen, *laudabiliores eſſe Duces, quorum exercitus ad modeſtiam labor & vſus inſtituit, quàm illos, quorum milites ad obedientiam ſuppliciorum formido compellit.* Et plerumque ita fieri videmus, vt *Sæpius ea committantur, quæ ſæpius vindicantur. Quod ſi tamen fieri medicinam neceßitas perſuaſerit, rectius eſt, more maiorum, in autores criminum vindicari: vt ad omnes, metus; ad paucos, pœna perueniat.*

Pag: 27. Val: Max: c. 7. lib. 2.

Cic: pro Mil: & 3. off.

Veg: lib: 3. c. 4.

Sen: de Clem:

Veg: d. loco.

Ne quis Sacroſanctum Dei nomen flagitiosè proſcindat.] Horrore plena D. Auguſtini ſententia. *Non minus peccant, qui blaſphemant* CHRISTVM *regnantem in Cœlis, quā qui crucifixerunt ambulantē in terris.* Sed ô tēpora! hodiè *nihil tam facilè emittitur, nihil latius dißipatur.*

Pag: 28.

ſuper illud Mat: 5. blaſphemauit.

Cic: pro Planc:

Tantam colluuiem ſcortorum.] Hui, tam

Pag: 28.

humi-

humili & seruili vitio, tam abiectis scortorum amoribus & imperijs, tam feroces & militares homines vsque adeò obnoxios esse? Vnum tantummodo vitium olim quidam arguebat,

Tibull. 2. Eleg.

Ferrea non Venerem, sed prædam
secula laudant.

Sed cum vitijs alijs pluribus,

Ferrea nunc Venerem, cum præda,
secula laudant;
Præda tamẽ multis est operata malis.

Pag. 30. Hist. Turc. Germ. par. 4. c. 17.

Bellicosiores sunt Christiani.] Soleymanes Turcorum Sultanus ipsemet, cum Corcyram irrito conatu frustrà obsedisset, frendens conquestus est, tantum in despectum abijsse Turcos, vt vel calones etiam, lixæque Christianorum singuli, quatuor eorum facilè prouocent, & repellant. Aristoteles quoque *fortissimam mundi gentem & animosissimam eam esse quæ Europam incolit: Asianos* (vnde suam Turci trahunt originem) *meticulosos homines, & bello minimè idoneos, fœminis similiores, quam viris*; memoriæ prodidit. Nequaquam tamen ij propterea, & ille terror orbis Genizari, præsertim; contemnendi: quos væsana Stoicorum, ineuitabilem Fato necessitatem affingentium, & homi-

num

num mentes huic ferreo, & duro telo subijcientium, opinione imbutos,

——— Ille timorum
Maximus haud vrget lethi metus. Lucan. 1.
Inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæq; capaces
Mortis. ———

Sententia vero ipsa, etsi eam quî improbet, non videre se dicat, & reipsa valdè commendet is, qui superioribus Comitijs de bello Turcico Principibus Autifoliettanam obtulit; vt minimè Christiana, spernenda prorsus, & improbanda. Monet id recepta Sanctorum Patrum autoritas: ratio valida & efficax suadet. *O si cor tuum non esset fatuum, non crederes fatū,* augustissimus ait Augustinus. Diuus porrò Ambrosius *fatale decretum inane appellat.* Oppugnat idem strenuè Gregorius. Damnat, & sacro percellit anathemate Concilium Bracharense. Quibus addo Theologorum, de fide recta rectè sentientium, rationem sanè ratam & firmam. DEVS nec sua præscientia, qua ab æterno in æternum omnia certò ac præfinitò præsciuit; nec sua prouidentia, qua cognita dirigit, & gubernat, caussis libero arbitrio præditis, vllam necessitatem im-

tract. 37. in Ioan. Tom. 9.
lib. de Arca & Noë c. 5.
hom. in Epiph.
c. 9. & o.

ponit. Nam verè & ſapienter à ſapientibus dictum eſt, modum cognitionis naturam rei cognitæ non immutare. Cum igitur fatum & ſcientiæ, & prouidentiæ diuinæ effectus ſit, quomodo libertatem tollit, quã vtraque relinquit? Sed de hoc profundo, quod temerarios ſui exploratores rapuit & abſorpſit quamplurimos, & prô dolor, quotidiè rapit, & abſorbet, iam ſatis.

Pag: 32. *Pro vera fide.*] Quam vnicè vero neruis omnibus contendere deberemus, hæc vndique ſarta tecta vt eſſet? Altiſſimus in re tanta veternus! Imò vero, non alia via magis compendiaria Barbarorum conatibus obuiam iri poſſe, vir ille, de quo paulo ante, doctus alioqui, in AntiTurcica ſua aſſerit: quàm ſi pro conſcientiæ ſuæ teſtimonio viuere vnuſquiſque in religione permitteretur. Non ineptè fortè, o bone, *ſi omnium conſcientias vera fides, ac* D E I *timor inſtrueret.* Nunc autem in tanta religionum diuerſiſſimarum caligine, omnis licentiæ frenos, pro cuiusq; libidine laxandos, num cenſes? Pietatem in te deſidero, ſi facis. Ego *nullam ſalutis ſpem ægrum habere, quem* (quod tu in hac Reip: magna mala peſte agis) *ad intemperantiam medicus hortatur,* aio. Longè alia eſt, à tua, D. Pauli ſententia. *Obſecro vos,* (in-

Lenſ. c.14

Sen. Epiſt. 124.

Epheſ. 4

quit is ad Ephesios suos) *vt sitis solliciti seruare* VNITATEM *spiritus, in vinculo pacis*, VNVM *corpus, & VNVS Spiritus. sicut vocati estis in* VNA *spe vocationis vestræ*, VNVS *Dominus*, VNA FIDES, VNVM *Baptisma*. VNVS DEVS, *& pater omnium*. Et multo expressius alibi, & clarius. *Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri* IESV CHRISTI, *vt* IDIPSVM *dicatis omnes, & non sint in vobis* SCHISMATA: *sitis autem perfecti eodem sensu, & in* EADEM *sententia*. Item. DEVS *autem patientiæ & solatij, det vobis* IDIPSVM *sapere in alterutrum secundum* IESVM CHRISTVM, *vt* VNANIMES, VNO *ore honorificetis* DEVM, *&c*. Atqui, concordiam saltem quandam in Rep: hac ratione iniri posse, ac debere, vis. Sed ego cum pietate prudentiam hîc tuam pariter requiro. Quid? Concordiæne effectrix discordia? Qui in re maxima capitaliter dissentiunt, in leuioribus vnanimes erunt? Minimè gentium. Vnum atque alterum, itemque fortè & tertium, consensuros, non inficias iêrim: vniuersè omnes, id vero constanter nego. Æui nostri, quæ me vestigia terrent, inspicè, si diuinis oraculis *pacem impijs esse pernegantibus*, fidem non adhibes. *Regnum* DEI *& iustitiam eius primò nos quærere* veritas ipsa iubet: & tū *cætera adijcienda* ait. Quid ergo, cum via adsit, semitam quæris? *Huma-*

1. Cor: 1
Rom: 15.
Isaiæ 48.
Matth: 6.

c. 6. lib. 1. *na consilia castigantur*, inquit Val. Max. (erubesce Christiane) *ubi se Cœlestibus præferunt.* Idem acebè minatur ex ore DEI propheta.
Agg: 1. *Hæc ait Dominus exercituũ, dicens* (inquit ille) *Populus iste dicit, Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ dicens. Nunquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta? Et nunc hæc dicit Dominus exercituum. Ponite corda vestra super vias vestras, Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos & non estis calefacti: & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum. &c.* Et quid mirum? Nihil æquè dissoluendæ & euertendæ religionis est, quàm dissoluta ista & licentiosa licentia. Probé animaduertit hoc *Iulianus Desertor* CHRISTI, *& inimicus. Supplicantibus igitur Rogatiano & Pontio, libertatem perditioni partis Donati permisit. Eo modo putans Christianum nomen posse perire de terris, si* VNITATI *Ecclesiæ, de qua lapsus fuerat, inuideret, & sacrilegas* DISSENSIONES *liberas esse permitteret.* Et nostris annis,
D. Aug: epist: 166. quàm multos licentia ista deteriores factos, tandem ad fundũ impietatis peruenisse vidim⁹? Tria saltẽ, vt id credas, extremæ perfidiæ exempla adducam: non meis quidem, ne fidem fortè non habeas, sed aliorum, & nõ Catholicorum verbis. Priorum duorum

me-

meminit Stephanus Gerlachius, Doctor Tubingensis, in epistola dedicatoria Assertionis piæ sanæque doctrinæ, de Diuina Maiestate Christi Hominis, Tubingæ editæ, apud Georgium Gruppenbachium, Anno 1585. in hæc verba.

Mali homines & impostores proficient in peius, seducentes & seducti. Cuius pronunciati veritatem multa (prô dolor) tristitiæ exempla confirmant, eorũ præsertim, qui in Germania, Vngaria, Polonia & Transyluania, ex Caluinismo ad Arianismum, & nonnulli etiam ad Mahumetismum, progressum fecerunt. Estq; inter alia famosum exemplum Adami Neuseri, Pastoris olim Heidelbergensis. Qui cum Constantinopoli seruitij causa generosum meum conuenisset, à prandio per familiare colloquium quæsiui, quomodo Constantinopolim peruenerit, & qua ratione factum sit, vt deserta religione Christiana Mahumetismum amplexus sit? Respondit. Quandoquidem extra teli iactum nunc sit, se velle mihi rem totam bona fide narrare. Dogma Lutheri de substantiali præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna, sibi, vt etiam nunc, absurdissimũ visum fuisse: ideoq; se Caluini opinionem, quæ minus absurditatis habeat, acceptasse. Deinde, cum disputaretur de persona Christi, se nullo modo probare potuisse doctrinã Lutheri & Brentij, de reali communicatione idiomatũ diuinorum. Et huius disputationis causa, se cepisse animo voluere, quod filius Mariæ non possit esse verus

Deus, quandoquidem nulla realis communio ipsi cum Deo sit. Cogitasse enim se de illo principio; finitum non est capax infiniti: item, inter finitum & infinitum nulla est proportio.

Hæc & alia se sibi, & familiaribus opposuisse: cumq́ nemo esset, qui animo suo satisfaceret, firmũ & ratum sibi fuisse, quod Christus tantum homo & excellens doctor fuerit, qui virtute & gratia antecedentes omnes superauerit. Inde progressum se dixit ad disputationem de Trinitate. Cumq; Transyluanorum quoddam scriptum legisset, & postea veteris & noui testamenti dicta examinasset, se non nisi vnum, verum, & æternum Deum agnouisse, cui nec Christus, nec Spiritus sanctus consubstantialis & coæternus sit.

Hinc se per duos annos (quod an verum dixerit ignoro, sed de eo chartam manu ipsius scriptam habeo) non in nomine Trinitatis baptizasse infantes, nec etiam obscurè doctrinam illam ex decem præceptis & symbolo Apostolico tradidisse, quod solus Pater Deus verus sit. Item ex cœna Dominica se sumpsisse hoc axioma, nullam creaturam posse esse creatorem, etiam communicatione idiomatum. *Hoc (inquit) cum in comitijs Spirensibus de me &* Syluano, *Imperatori Maximiliano, & per eum meo principi innotuisset, fuga mihi consului. Sed sponte in Palatinatum reuersus, ad Electorem pertractus sum, cui in faciem respon-*

di,

di, (verba illius refero) Nisi Caluinianus factus fuissem, eò non deuenissem.

E custodia autem, cui traditus eram, prouidentia Dei liberatus, in Poloniam veni; vbi multos fratres inueni, qui idem de Christo & Trinitate, quod ego, sentiebant. Sed quia per insidias mei Principis ibi tutò consistere non poteram, in Transyluaniam ad Franciscum Dauidis abij, tutiorem receptum propter Turcicam viciniam sperans. Dum ibi hæreo, inter fratres Poloniæ & Transyluaniæ disputatur de articulo iustificationis; & res eò deducitur, quod Christus sua morte & paßione genus humanum non redemerit, nec illud suo sanguine iustificare & saluare poßit, siquidem nudus homo sit, & requiri à nobis impletionem legis; de qua ipse quoq; Heidelbergæ publicè egerit.

Et huius disputationis, nec non aliorum quorundam occasione, motam fuisse quæstionem de auctoritate Bibliorum, in quibus cum multæ contradictiones occurrant, dubium esse, an sint incorruptum verbum Dei. Hæc, inquit, cum agitarentur, & ego quædam de vno vero Deo contra Trinitatem publicare constitueram, eiusq; gratia in vicum quendam nobilem, Turcæ patrocinio gaudentem, ad typographum ibi commorantem profectus eßem, Baßæ Themesßwarensi proditus fui, qui me Constantinopolim misit, nihil reluctantem, sed potius de eo gratulantem mihi ipsi, quòd Alcoranum à veritate non alienum eße, & in omnibus capitibus Religionis mecũ sentire cog-

nouißem: ſicut quoq; in litteris ad Imperatorem Turcicum Selimum Heidelbergæ ab ipſo ſcriptis fatetur, ſe credere omnia eſſe vera, quæ in Alcorano habentur. Hæc ex Gerlachio.

Neuſerus iſte primùm in ampliſsimo Franciæ Orientalis monaſterio Ebrach (cui iam perquam Reuerendus, doctus, veteriſque monaſticæ diſciplinæ amans, Dominus HIERONYMVS HOELINVS Abbas, digniſſimé præeſt) religioſi inſtituti votis rité nuncupatis, monachum induit. Mox tamen blanda noui Euangelij libertate allect⁹, Lutheranus primò factus eſt, hinc, ſenſim ſcilicet proficiens, Caluinianus, deinde Arian⁹, tandem vero, vt ex Gerlachio audiuimus, Turcus, & impius Mahumetanus.

Ioannes Syluanus, quem nomine ſaltem attingit Gerlachius, non minus nefarius fuit. Sacerdotio is inter Catholicos conſpicuus, Reuerendiſſimis & Illuſtriſſimis Principibus, MELCHIORI ZOBELIO primùm (à quo Ratiſpona adductus fuerat) FRIDERICO VVIRSBERGIO deinde, VVirtzburgenſibus Epiſcopis, & Frãciæ Orientalis Ducibus, à concionibus aulicis fuit. Quo toto tempore ita ſe geſsit, ut non obſcura impietatis indicia à multis in eo ſæpè notarentur. Tandem, cum

die quadam, ſacerdotalis officij & dignitatis immemor, effrons homo ſe choreis laſciuè immiſcuiſſet: ſartorem quendam, inter ſaltandum primas ſibi eripientē, percuſsit. Vnde in carcerem coniectus, diu conceptum apud ſe ſcelus detegendum ſtatuit. Inde ergo dimiſſus, religione Catholica deſerta, Lutheranum dogma primùm; Caluinianum poſtea ſequutus eſt: tū ad Arianiſmum; indeque ad Mahumetiſmum, vti Neuſerus, nefariè defecit. Quem ille non ſaltem inter Turcos, (quod Neuſero collegæ ſuo, è vinculis elapſo, licuit) libenter publicè profeſſus fuiſſet: ſed etiam quoad eius fieri potuiſſet, ſparſiſſet per Germaniam vniuerſam, nî maturato ſupplicio capite plexus, viuendi finem prius feciſſet. Hæc ita ſe habere, plurimis adhuc ciuibus VVirtzburgenſibus fide dignis conſtat: è quibus & ætate, & Conſulari dignitate præſtans Dominus IOANNES Steinpickelius, hæc mecum, pro ſua humanitate libenter & verbo, & ſcripto, communicauit.

Tertium, ne periret, Vrſellenſis Typographi in egregium Iacobi Palæologi fœtum pietas fecit. Ita vero in epiſtola Matæologus ille (Palæologus dicere volebam) inquit. *Conuenit etiam me* (Conſtantinopoli)

magna illorum multitudo, qui ex Christianis facti sunt Turci; inter eos fuit miser Nicolaus, superintendens quondam Middelburgensis. Multum ille deplorauit suam fortunam apud me, clam alijs: is doctus in Latina, Græca, & Hebraica lingua, profectus Temesuarium, & inde Byzantium, in senatu Bassarum, publicè, audiente Rege, petijt fieri Turcus: datũ est illi spacium cogitandi octo dierum, quod nollent quemquam, nisi sua sponte, fieri Turcum: audîssent autem eum fuisse Episcopum apud Christianos: itaq; post octo dies reuersus, cum, erecto indice, pronuntiasset illa: Deus vnus est, & quem misit ille, post Iesum Christum, est eius vates Mehemetus: obnubilatus capite lino albo, receptus est inter milites tertiæ Legionis equitum, cum salario 12. asprorum in die, hoc est 21. crucifeci. Hæc nempè libera ista

Lucret: *Religio peperit scelerosa, atq; impia facta.*

Verè, verè *Lamentabile spectaculum est & luctuosum* (qui questus OPTIMO IMP: FERDINANDO familiaris fuit) *eos, qui sunt eiusdem baptismi, nominis Imperij, Linguæ, diuelli in professione fidei.* Ne igitur, mi homo, fenestras illi foresque patefaciendas suade. *Quid iucundius accidere posset*, (vt sæpè exoptauit CAROLVS. V. IMP: FORTISSIMVS) *quam omnes ordines videre consentientes animis, eandem sequi formam Religionis*? Hanc in curam si omnes incumberemus, coalescenti-

Golt. in imag:

Id. ibid.

bus

bus animis & viribus, Africam, Asiamq́ue victricibus signis emensi, amplissima, de deuictis DEI nostrisque hostibus, trophæa, ad immortalem Germanici nominis gloriam vbiq́ue statueremus. Quod vt breui fiat, quemadmodum omnes ex animo cupimus & optamus: te, æterne DEVS quod potes, & nobis volentibus vis, demississime oro, & obtestor.

FINIS.

EPIGRAMMA DE ANTITVRCICA TARNOVIANA.

Siue

DE PRVDENTISSIMA DISPVTATIONE COMITIS TARNOuij, De bello cum Turcis gerendo, iam edita.

Consilium ſapiens dederat Tarnouius olim,
Turcica barbaries vt ſuperanda foret.
Hoc celeri excepit calamo, dictantis ab ore
Straſius: at ſapiens blatta terebat opus.
Scheidius indoluit tanti Ducis abdita nocte
Verba latêre atra, dignaque verba die.
Ergo vbi Chriſticolûm iuratos ſanguinis hoſtes
Et terra & pelago corripere arma videt.
Dignus ait labor eſt, claras ſi luminis auras
Conſilium hoc prudens arte mea videat
Rectè ais, o Scheidi, labor eſt digniſſimus ille,
Dignus & ingenio, dignus & arte tua.

Chariſsimo Præceptori ſuo, Domino M. Ioanni Georgio Scheidio, amoris, & obſeruantiæ debitæ ergò L. M. S.

Ioannes Eberhardus à Dienheim.

IN
SCHEIDOTARNOVIUM
HONORIS, AMORIS, ET DEFENSIONIS ERGÒ SCRIPTVM
Epigramma.

à

MARCO à LANTAV.

TEmpeſtas cum ſæua tonat, rimiſq; fatiſcens
Fiſſa ratis Tethyos cærula tecta ſubit;
Accurrunt trepidi paſſim, nullumque laboris
Neptuni expertem lubrica regna ſinunt.
Vulcanus rapidis Cererem ſi, tectaue flammis
Inuoluat, quanto buſta cruore madent?
Nec mirum iungi dextras, dum peſtis oberrans,
Communi cunctos clade perire velit.
Mirum igitur Scythicam, multorum ſanguine, fortē,
Virtuti genitam, conglomerare manum?
Aſt prohibent leges. Naturæ motio nunquam,
Nunquam diuorum claſſica lege carent.
Sed vitem frangis. Non vt commota trucidet,
Caſtiget verum, vitis acerba ſolum.
At curuo incaſſum littus proſcindis aratro:
Si crimen tollas, terra noualis erit.

Hoc etenim tantos cumulauit ſtragis aceruos,
Hoc toties preſſit compede membra graui.
Hoc vbi ſuſtuleris, Mahumetis ſigna recondet,
Quæ profert noſtro crimine pinguis humus.
Ergo tuum præſtans facinus violare, Georgi,
Quicunque audebit, miſſile bis capiet.
Nam vel communi dextras reuocabit ab hoſte,
Vel nunquam AEacides munus Vlyſſis eris.

EPIGRAMMA.

IN LAVDEM

DOCTISSIMI, HVMANISSIMIQVE VIRI, IOANNIS GEORGIJ Scheidij, quod Sapientissimam, de belli cum Turcis gerendi ratione, disputationem è tenebris vindicatam, in medium contulerit.

Autore P. S.

SCripserat inuictus bello Tarnovvius heros,
Vinci Turca ferox quâ potis arte foret:
Scriptum mergebat tenebris Nox atra profundis,
Cum subitam Scheidî dextra tetendit opem.
Indignatus opus tantæ tenebrescere curæ
Scheidius, indicio prodidit ipse suo.
Battus ob indicium in silicem, qui dicitur Index,
Versus Mercurio præcipiente fuit:
Non opus in silicem vertatur Scheidius istum
Omnem vim silicis qui prius huius habet.

I TARNOVII
DE BELLO